IO. GEORGII WALCHII
THEOL. D. ET P. P.

COMMENTATIO
DE
ARTE ALIORVM ANIMOS COGNOSCENDI.

EDITIO SECVNDA CORRECTIOR.

I E N A E,
IMPENS. FRANCISCI BORTOLETTI,
M DCC XXXIII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY
58700 (3)

LECTORI BENEVOLO

S.

DEcem circiter annorum effluxit ſpatium, ex quo ea, quæ iam TIBI, Lector beneuole, exhibetur, diſſertatio *de arte aliorum animos cognoſcendi,* publicæ luci prima vice expoſita, ac ſub moderamine viri magnifici, ac ſumme reuerendi IO. GEORGII VVALCHII, tunc temporis eloquen-

quentiæ ac poeſeos P. P. O. iam vero theologiæ doctoris eiusdemque profeſſoris publici ordinarii in academia Ienenſi celeberrimi; reſpondentis partes ſumma cum laude gerente generoſiſſimo CAROLO ALBERTO DE SCHÉITHER, publice eſt ventilata. Tam avide vero iſta a viris eruditis ſuſcepta eſt disſertatio, vt eius exempla, breui tempore diſtracta, fruſtra per aliquot annos in bibliopoliis quærerentur. Deſiderio igitur multorum ſatisfacturi de nouo eam prelo ſubiicere recudendamque curare conſtituimus. En itaque, Lector, eam non quidem auctiorem; multum tamen correctiorem tibi ſiſtimus. Atque hæc ſunt, Lector beneuole, quæ circa ſecundam diſſertationis huius editionem te ignorare noluimus. Vale! & hanc diſſertationem de meliori nota tibi habe commendatam!

COMMENTATIONIS
DE
ARTE ALIORVM ANIMOS COGNOSCENDI

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Hiſtoria doctrinæ huius tempore vetuſtiori §. I.

Ac recentiori breuiter memoratur. §. II.

Artis huius aliorum animos cognoſcendi definitio traditur. §. III.

Speciatim autem explicatur cognitionis huius primum obiectum *§. IV. V. VI.*

Deinde fundamentum, *quo pertinent ſigna, ex quibus cognitio hæc colligitur. §. VII.*

Quæ ſunt partim phyſica §. VIII.

Partim moralia. §. IX.

Quæ poſteriora comprehendunt & orationem. §. X.

Et ipſa facta. §. XI.

Tertium explicatur ratio *cognitionis huius, num ſit certa; an probabilis. §. XII.*

Media, quibus ars iſta comparatur. §. XIII.

Quomodo ſit applicanda. §. XIV.

Vtilitas artis illius demonſtratur. §. XV. XVI.

QUum in eo ſumus, vt de arte aliorum animos cognoſcendi, quædam diſſeramus, non ab re erit, breuiter ex hiſtoriarum monimentis repetere, quæ doctrinæ huius præſtantiſſimæ fuerint fata, quæ-

ue ſapientum ingenia & vetuſtiori & recentiori æuo in exponenda iſta ſua locauerint ſtudia. Cuius fortunam quæ ipſi antiquiori fuit ætate, vt cognoſcamus rite, neceſſe eſt, diſcrimen inter rem ipſam eiusque doctrinam ponere. Res enim ipſa antiquitate ſua ſatis ſe commendat, quum vetuſtiores philoſophi cognoſcendis aliorum cum ingeniis; tum animis operam dederint hancque cognitionem ad vitæ prudenter formandæ vſum transtulerint. De Pythagora refert A. GELLIVS: a) *iam a principio adoleſcentes, qui ſeſe ad diſcendum obtulerant*, ἐφυσιογνωμόνει. *Id verbum ſignificat, mores naturasque hominum coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu ſciſcitari*, quam explorandi rationem pluribus illuſtrarunt IO. SCHILTERVS b) & IO. FR. BVDDEVS. c) Sic & Ariſtoteles neminem ad philoſophiæ remotioris ſubtilioriſque auſcultationem admiſit, *niſi eius antea ingenium & eruditionis elementa atque in diſcendo ſtudium laboremque exploraſſet*, vt idem GELLIVS d) auctor eſt; de Apollonio autem memorat CICERO, e) quod non paſſus ſit, eos, quos iudicauerit, non poſſe oratores euadere, operam apud ſeſe perdere, dimiſeritque: & ad quamcunque artem putauerit eſſe aptum, ad eam impellere atque hortari ſolitus fuerit. Cuiusmodi aliorum indolem explorandi ſtudia & in reliquis vitæ generibus ſæpius ſusceperunt. Neque non huc ſpectare videtur, quod hiſtorici ac poëtæ diligenter caracteres morum notarint imaginemque virtutum ac vitiorum veluti colore quodam inter-

a) N. A. lib. I. cap. 9. b) *de diſciplin. Pythag.* §. 25. c) *ſelect. iur. nat. & gent.* p. 379. ſqq. d) lib. XX. c. 4. e) *de oratore lib. I. n.* 126.

interdum repræſentauerint, vt IO. HENRICVS BOECLERVS & *caracteribus Velleianis & commentario Nepotis* illuſtre dedit exemplum. Speciatim exhibent mores regnantium & aulicorum SENECA *tragicus*, CVRTIVS, POLYBIVS; parentum & liberorum, dominorum & ſeruorum, item amicorum comici, in primis ARISTOPHANES & TERENTIVS; apud HORATIVM f) autem mores ætatum elegantiſſime deſcriptos deprehendimus, quarum deſcriptionum HOMERVS auctor creditur, qui primus caracteres fortis cuiusdam atque ignaui g) depinxerit. Hinc & FRANCISCVS BAC. de VERVLAMIO, h) quando de caracteribus animi cognoſcendis diſſerit, hanc in cauſſam hiſtoricos commendat prudentiores: *longe optima*, inquit, *huius tractatus ſuppellex & ſilua peti debet ab hiſtoricis prudentioribus: neque tamen ab elogiis tantum, quæ ſub obitum perſonæ alicuius illuſtris ſubnectere ſolent; ſed multo magis ex corpore integro hiſtoriæ, quoties huiusmodi perſona veluti ſcenam conſcendit. Illa enim intertexta imago potius videtur deſcriptio, quam elogii cenſura: qualis habetur apud Liuium Africani & Catonis maioris: apud Tacitum Tiberii, Claudii & Neronis: apud Herodianum Septimii Seueri*, cetera. Nec ab hoc argumenti genere alieni ſunt ſatirarum ſcriptores, qui ignorantiam, errores, vitia humana quæue inde proueniunt, perſtringere ſolent. Quo circa DANIEL HEINSIVS i) ſatiræ deſcriptionem ita ornandam eſſe cenſet: *ſatira eſt poëſis ſine actionum*

f) de *arte poëtic.* v. 158. ſq. g) *Iliad.* XIII. v. 282. ſqq. h) *de dignit. & augm. ſcient.* lib. VII. c. 3. p. 198. opp. i) lib. de *ſatir. Horat.* p. 43.

ſerie ad purgandos hominum animos inuenta, in qua vitia humana, ignorantia ac errores, tum quæ ex vtrisque proueniunt, in ſingulis partim dramatico; partim ſimplici, partim mixto ex vtroque dicendi genere perſtringuntur: ſicut humili ac familiari; ita acri partim ac dicaci, partim vrbano ac iocoſo conſtans ſermone, quibus odium, indignatio mouetur; aut riſus. Principes eorum ſunt HORATIVS, PERSIVS, IVVENALIS, PETRONIVS, ex epigrammatum auctoribus MARTIALIS aliique, de quibus vt & de ipſa per ſatiras moralia tradendi ratione copioſius diſſeruit GEORGIVS PASCHIVS. k) Verum licet antiquiſſimo tempore prudentiæ, quæ in cognoſcenda animorum indole verſatur, conſecrarint operam; nullus tamen veterum philoſophorum artem iſtam doctrina ac præceptis pleniori ſtudio iuſtoque ordine explanauit. Etenim in monimentis ipſorum, quæ ſapientiæ de moribus recte formandis continent præcepta, haud quidquam deprehendimus, multo minus in ſcriptis politicis, quorum ſumma rem publicam prudenter adminiſtrandam complectebatur. Ac quamuis nonnulli argumenta quædam, quæ ad integram hancce doctrinam conſtituendam neceſſaria ſunt atque vtilia, attigerint, quando partim de adfectibus; * partim de caracteribus morum ** diſſeruerunt; minus tamen induſtria, quam in explicandis illis collocarunt, operi huic accuratius explanando illuſtrandoque ſatisfecerunt.

* Quæ

k) de *variis modis moralia tradendi* c. III. p. 221.

* Quæ veterum græcorum ſapientum doctrina de adfectibus fuerit, §. II. breuiter oſtendemus, quocirca ſcriptores tantum indicaſſe ſufficiat, quo pertinent:

ARISTOTELES, qui *rhetoric.* lib. II. cap. I. ſqq. ad eloquentiæ tantum vſum doctrinam de affectibus expoſuit; in libris autem ethicis, quos copioſos ſcripſit, nullam illius habuit rationem. Ex recentioribus multi opus hoc interpretati adeoque etiam Ariſtotelis doctrinam de adfectibus illuſtrarunt, ex quibus inprimis CHRISTOPHORI SCHRADERI *commentarius de rhetoricorum Ariſtotelis ſententia & vſu*, Helmſtad. MDCLXXIV. ſingularem meretur laudem. Idem philoſophus lib. II. *rhetoric.* cap. 12. de *moribus ætatum* diſſeruit, cui argumento præcipue IO. MICHAEL DILHERRVS ſingulari diſſertatione de *moribus ætatum*, quæ extat tom. II. *diſſert. academicar.* n. VIII. p. 127. & GER. IO. VOSSIVS *inſtitut. orator.* lib. II. p. 292. lucem attulerunt:

ANDRONICVS *Rhodius*, ad quem tanquam auctorem vulgo refertur liber *περὶ παθῶν*, *de animi affectionibus*, quem ſub nomine eius edidit DAVID HOESCHELIVS MDXCIII. atque paraphraſi Nicomacheorum, cuius idem ANDRONICVS auctor creditur, deinde DANIEL HEINSIVS MDCXVII. ſubiunxit:

CLAVDIVS GALENVS, cui librum de eo, quod *mores animi temperamento corporis obſequantur*, debemus, qui in editione Pariſienſi tom. V. p. 444. ex CASAVBONI codice & MORELLI editione legitur. Idem GALENVS monſtrauit quoque libello ſeparatim recenſito atque emendato cura IO. CASELII, quemadmodum *quis animi ſui adfectus dignoſcat & corrigat*, ſub cuius ſcripti initium memorat, CHRYSIPPVM, quæ ad ſedandas animi perturbationes pertinerent, tradidiſſe:

L. ANNAEVS SENECA, cuius extant libri tres *de ira* ad Nouatum fratrem, licet opus hoc non integrum ad nos peruenerit:

PLVTARCHVS *Chæronenſis*, qui varia argumenta ex

diſciplina de affectibus pertractauit; e. g. περὶ τῆς ἀρετῆς, ſiue *de virtute morali, quod in affectuum moderatione conſiſtat*; περὶ ἀοργησίας, *de ira cohibenda*, περὶ φθόνου καὶ μίσους, *de odio & inuidia & vtriusque differentia*.

** *Caracter*, χαρακτὴρ eſt ſignum; ſiue nota, vnde quid dignoſci poteſt. Hinc in arte de noſcendis aliorum animis caracteres ſumuntur, ex quibus mentis cuiusdam indoles colligitur, ac in *naturales* & *morales* diuiduntur. Illi ſunt ſigna corporis, quando hominum mores naturasque præſertim ex vultu, oculis, lineamentis; aut ſimilibus pernoſcere inſtituunt, quibus explicandis propria eſt diſciplina adpellata *phyſiognomia*, iam a veteribus culta ac tradita. ARISTOTELIS enim exſtat liber de *phyſiognomia* ac compendium quoddam illius libro II. *analyticor. prior.* capite vltimo. Nec non POLEMONIS & ADAMANTII phyſiognomica nota ſunt, de quibus IO. ALBERTVS FABRICIVS *biblioth. græc.* lib. III. cap. 6. p. 170. ſqq. legi poteſt. Notat quoque *caracter* deſcriptionem cum aliarum rerum, tum maxime virtutum ac vitiorum, quæ ex actibus propriis ac negotiis, quaſi imago atque exemplar in iis exſtet, declarantur. SENECA epiſt. XCV. *vtilem futuram eſſe deſcriptionem cuiusque virtutis. Hanc Poſidonius ætiologiam vocat; quidam* χαρακτηρισμὸν *appellant, ſigna cuiusque virtutis ac vitii ac notas reddentem, quibus inter ſe ſimilia diſcriminentur. Hæc res eandem vim habet, quam præcipere. Nam qui præcipit, dicit: illa facies, ſi voles temperans eſſe. Qui deſcribit, ait: temperans eſt, qui facit illa, qui illis abſtinet. Quæris quid interſit? alter præcepta virtutis dat: alter exemplar. Deſcriptiones has &* εἰκονισμοὺς *ex vſu eſſe confiteor.* Genus hoc morum diſciplinam tradendi χαρακτηριστικὸν inueniſſe a nonnullis, creditur THEOPHRASTVS ex Lesbo inſula *Ereſius*, Ariſtotelis in ſchola Athenienſi ſucceſſor, cuius ἠθικοὶ χαρακτῆρες, *caracteres*; ſiue *notationes* morum vitioſorum ſæpius græce & latine editi atque illuſtrati

ſunt

ſunt præcipue cura ISAACI CASAVBONI ac PETRI NEEDHAMI, etiam gallice tranſlati ab HIERONYMO BENEVENTANO ac nouiſſime a BRVYERIO, qui Theophraſtum imitatus eſt & ex ſuo ingenio nouos addidit caracteres: vide GEORGIVM PASCHIVM de *variis modis moralia tradendi* cap. IV. IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc.* lib. III. cap. 9. p. 241. & CAROL. ARNDIVM *bibliothec. politico-heraldic.* p. 363. Laudat quoque ATHENAEVS IV, 19. SATYRI, philoſophi Peripatetici librum ad imitationem Theophraſti compoſitum περὶ χαρακτήρων, qui non exſtat: confer IONSIVM de *ſcriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ* lib. II. cap. II. p. 201. Neque non CHARISIVS, grammaticus mentionem facit VARRONIS περὶ χαρακτήρων libri tertii; verum ita, vt de argumento eius haud certi quid liceat pronuntiare.

§. II.

At vero prout recentiori ætate omnis philoſophiæ doctrina, & illa præſertim, quæ ad hominum mores recte ac prudenter formandos ſpectat, præclara cepit incrementa, eiusque dignitatis magna acceſſio facta eſt: ſic argumentum quoque de noſcendis aliorum animis multiplici eruditorum opera expoſitum fuit atque illuſtratum. Veterum enim ſapientum philoſophia moralis haud rite culta fuit atque tradita, ſiue ipſas doctrinas, ſiue nexum ac legitimum diſcrimen diſciplinarum, quibus continetur, reſpiciamus. Quod ſi a barbaris, vti dicuntur, philoſophis diſcedamus, Plato quidem & Stoici atque Epicurus de ipſius mentis felicitate præcipiebant deque animi medicina paranda adhiben-

da-

daque diſſerebant copioſe; ſed quæ dederunt præcepta, ad ſpeciem tantum erant ſplendida. Nam ſi effata ipſorum ad principia, vnde ſunt ſecuta, reducantur, veritati ac pietatis ſtudio iſta aduerſari, quisque deprehendit. Pythagoras ac Plato grauiſſimo ſeſe implicuerant errore, quod anima noſtra pars ſit mentis diuinæ; Stoici autem omnia fati neceſſitate fieri credebant, ac Epicurus eiusmodi fingebat animi voluptatem, vt per illam præfracte penitusque tolleret diuinam prouidentiam. In quibus ſummorum errorum tenebris quum verſarentur, haud ſalutare quid ad mores hominum rite formandos poterant meditari inque aliorum proferre vſum. Nec moralis doctrina, quam Ariſtoteles expoſuit, maiorem præ ſe habet dignitatem, cuius ſumma, ſi omnia penitus inſpiciantur, in eo eſt poſita, vt viam ad delicias rerum humanarum capiendas muniat. Præter quam philoſophiæ huius moralis futilitatem atque impietatem, diſcrimen quoque legitimum diſciplinarum, quæ pro argumentorum diuerſitate merito conſtituendæ ſunt, deſiderandum habemus. Plato tres poſuit philoſophiæ partes, *rationalem*, *naturalem* & *moralem*, quam diuiſionem Stoici ſunt ſecuti; Epicurus vero primario loco habuit *naturalem* & *moralem*, quamque alii dixerunt *rationalem*, *canonicam* appellauit, veluti minimam philoſophiæ partem. Ariſtoteles illam vel *theoreticam*; vel *practicam* eſſe dixit, quas diuidendi rationes ex antiquis maxime memorant SENECA: *philoſophiæ*, inquit, *tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: mora-*

moralem, naturalem & rationalem. Prima componit animum: ſecunda rerum naturam ſcrutatur: tertia proprietates verborum exigit & ſtructuram & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant, l) & DIOGENES LAERTIVS; m) ex recentioribus vero CHRISTIANVS THOMASIVS. n) Ea autem parte, quam adpellabant moralem, prima ipſius ætate tantum de moribus deque bonis ac malis quærebant, ſicque in ſola occupati erant diſciplina, quæ ſpeciatim dicitur ethica: quocirca DIOGENES LAERTIVS o) quando philoſophiæ partes recenſere inſtituit, dicit: *μέρη φιλοσοφίας τρία, φυσικὸν, ἠθικὸν, διαλεκτικὸν, ſunt philoſophiæ partes tres, phyſica, ethica & dialectica.* Poſthæc Peripateticorum nonnulli politicam quidem & œconomicam, veluti nouas partes adiecerunt, auctore SENECA: p) *quidam ex peripateticis quartam partem adiecerunt, ciuilem: quia propriam quamdam exercitationem deſideret & circa aliam materiam occupata ſit. Quidam adiecerunt his partem, quam græci οἰκονομικὴν vocant adminiſtrandæ rei familiaris ſcientiam.* Sed eam philoſophiæ partem, quæ de officiis hominum ad leges diuinas componendis præcipit, & a plerisque recentiorum dicitur ius naturæ, haud diſtinctam ab aliis doctrinæ moralis diſciplinis tractarunt. Nec ſcholaſticorum tempeſtate felicior philoſophiæ huius fortuna fuit. At vero quum re-

l) *epiſtol. LXXXIX.* m) l. v. ſegm. 28. lib. VII. ſegm. 39. 40. n) *in trod. ad phil. aulicam* c. II. §. 8. ſeqq. o) lib. I. ſegm. 18 p) epiſtol. LXXXIX.

centiori æuo opera grauiſſimorum virorum omnis ſapientiæ doctrina, quæ per ſecula oppreſſa fuerat ac deprauata, ex tenebris in lucem prodire & ad veriorem ſibique propriam reuocari cœperit pulcritudinem; illius quoque pars, quæ de vita bene, recte & prudenter inſtituenda exponit, a ſordibus purgata atque in ampliorem euecta fuit dignitatem. Etenim non ſolum accuratius in voluntatis humanæ indolem morboſque inquiſiuerunt verioremque mentis medicinam commendarunt; ſed & vt quid in actionibus noſtris ſit laudandum, quid vituperandum, magis eluceſcat, omnes integræ philoſophiæ moralis partes diſtincte poſuerunt, ac quum adiecerint ius naturæ, diſcrimen inter iuſtum & prudens explanarunt perſpicue. In qua ſedula grauique ſapientum exercitatione noſtrum quoque argumentum de arte cognoſcendi aliorum animos, maiori ſtudio cultum ac traditum fuit, modo ab illis, qui adhuc vetuſtioris cuiusdam philoſophiæ genuinam doctrinam ſunt ſectati; modo ab eclecticæ, vt dicitur, philoſophiæ auctoribus, id quod duplici in primis ratione factum eſſe, obſeruamus. Recentiores enim non ſolum coniunctim* in libris artis ethicæ ac politicæ; ſed & ſeparatim de hocce argumento expoſuerunt, quorum poſteriorum iterum varia ſunt genera. Alii doctrinam hanc auxerunt incrementis, viamque ad iſtam rectius tradendam ac cognoſcendam præpararunt, quum modo de affectibus, ** modo de temperamentis ***, modo de caracteribus morum * egerint; alii vero in ipſa doctrina

ctrina plenius ac ſeparatim tradenda ſua exercuerunt ingenia. **

* Cuiusmodi ſunt IO. FRANCISCVS BVDDEVS *element. philoſophiæ practicæ* part. I. cap. 5. CHRISTIAN. THOMASIVS in *Ausübung der Sitten-Lehre* cap. XIII. NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS *via ad veritatem moralem* cap. XVII. ANDREAS RVDIGER *philoſophiæ pragmaticæ* lib. III. ſect. I. part. 2. cap. 9. AVGVSTVS FRIDERIC. MVLLERVS *obſeruation.* in GRACIANI *oracul.* centur. I. pag. 363. ſqq. CHR. AVGVST. HEVMANNVS in *polit. philoſ.* cap. III. IVLIVS BERNHARD. de ROHR in *Einleitung zu der Klugheit zu leben* cap. XIX. vt de aliis taceamus.

** In doctrina de *affectibus* exponenda non diligenter verſati ſunt vetuſtiores philoſophi: hinc & CICERO lib. III. *quæſtion. Tuſculan.* miratus eſt, *cur quum conſtemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique cauſſa quæſita ſit ars atque vtilitas, deorum immortalium inuentioni conſecrata; animi autem medicina nec tam deſiderata ſit, antequam inuenta; nec tam culta, poſteaquam cognita eſt.* Siue enim ſcripta; ſiue doctrinam veterum de adfectibus reſpiciamus, pauca omnino laudanda ac commendanda habemus. ARISTOTELES huic argumento tantum in libris rhetoricis locum dedit: neque illud in phyſicis; neque illis, quæ de morum ratione compoſuit, monimentis ex inſtituto pertractauit. STOICI copioſe de adfectibus diſſeruerunt, quamuis ipſorum doctrina futilitatis ac vanæ ſubtilitatis fuerit pleniſſima. Maiori adhuc laude rei huic operam dederunt, qui ſingulares libellos exempli cauſſa de ira cohibenda, de amore prolis, de cupiditate diuitiarum, de vitioſo pudore, de odio, vt PLVTARCHVS, SENECA atque alii, itemque GALENVS de *cognoſcendis curandisque animi morbis* reli-

querunt, quippe qui quamuis argumento huic haud plane ſatisfecerint; aliis tamen, vt longius procederent, occaſionem præbere ipſisque mouere ſtimulos potuerunt. Ipſius vetuſtioris doctrinæ de affectibus ea eſt ratio, vt inde pauca ad ſolidam veramque eorum cognitionem acquirendam poſſint hauriri, prout accurate CHRISTIANVS THOMASIVS in *Ausübung der Sitten-Lehre* cap. II. monſtrauit, cui elegantem doctrinæ huius hiſtoriam debemus. Noſtra ac ſuperiori ætate grauiſſimum ſapientiæ huius momentum maiori ſtudio explicandum viri clariſſimi ſuſceperunt, ac reiectis iis omnibus, quæ veteres in definiendis ac diuidendis adfectibus partim obſcura; partim ſterilia ac ſpinoſa cogitauerant, diligentiſſime ipſorum naturam modumque, quomodo producantur, non ſolum ſunt ſcrutati; ſed & quid in illis ad vitam bene prudenterque formandam eligendum ſit, demonſtrarunt. Equidem non omnes pari ſtudio ac laude in hac philoſophiæ doctrina ornanda elaborarunt; certe tamen planiorem viam aperuerunt, ac quando erronea; nec ſatis ſolida admiſerunt, aliis doctrinam hanc purgandi ac in maiorem promouendi locum, dederunt occaſionem. Principes igitur eorum ſunt:

ALOYSIVS LVISINVS, patria Vtinenſis, medicus Venetus, cui *de compeſcendis animi adfectibus per moralem philoſophiam & medendi artem tractatum in tres libros diuiſum* debemus, qui prodiit primum Venetiis MDLXI. mox quoque Baſil. MDLXII. & iterum Argentor. MDCCXIII. Auctor præmiſſa dedicatione dicit: *vnum illud minime prætereundum cenſeo, neminem adhuc neque inter Arabes; neque inter latinos inuentum fuiſſe, qui ad illud tractandum hoc pacto acceſſerit, cuius extent monumenta; neque enim ignoro, paucula quædam obiter a nonnullis tradita eſſe de compeſcendis animi adfectibus: ab aliis etiam de induſtria,*

inter

inter quos Galenus fuit; cuius tamen quæcunque de cognoſcendis curandisque animi morbis ſcripta fuere, vno duntaxat capite a nobis comprehenſa ſunt. Hinc & VINCENTIVS PLACCIVS commentario de *augenda ſcientia morali* p. 74. ſqq. auctorem hunc primum eorum fuiſſe putat, qui ſuperiori ætate operam ad medicinæ moralis artem contulerint, ac ipſius libri exhibet ſummam. Sequitur inprimis philoſophiæ Stoicæ veſtigia, ac quamuis maior libri pars generaliora contineat, niſi quod in iræ, furoris, triſtitiæ, metus, melancholiæ, inuidiæ deſcriptione deſcendat ad ſpecialiora; merito tamen exiſtimatione vel eo nomine dignus habetur, quod argumentum hoc ad vitæ vſum accommodare eſt conatus:

LAELIVS PEREGRINVS, philoſophus & orator romanus, qui *de noſcendis & emendandis animi adfectionibus librum ſingularem* edidit. Auctor hic a IANO NICIO ERYTHRAEO *pinacothec.* p. 154. ita laudatus fuit: *orator non ſolum diſertus, verum etiam eloquens, quum multiplex rerum ſcientia, qua animum compleuerat, vberem illi copiam daret ad dicendum. Erat enim philoſophicis ac theologicis diſciplinis inprimis excultus, quas docendi facultatem acceperat. Sermo purus, nitens, excultus, nullaque in rerudis. Multos annos in gymnaſio romano Ariſtotelis de moribus libros non tenui mercede, non paruo diſcipulorum numero publice interpretatus eſt. Vixit vsque ad ſenectutem perpetuo honeſtæ ac laudabilis vitæ tenore.* Ipſe autem liber prodiit, vt CHRISTIANVS GOTTL. SCHWARZIVS præfatione ad editionem Lipſienſem obſeruat, primum Romæ MDXCVII. poſtea Vrſellis MDCIII. tertium Argentorati MDCXIV. cum libris ethicorum ABRAHAMI SCVLTETI & Lipſiæ MDCCXIV. cum præfatione laudati SCHWARZII de logomach. virorum eruditorum in do-

in doctrina adfectuum, cui editioni acceſſit quoque VINCENTII PLACCII *moralis ſtudii ſuccincta hiſtoria.* Abſoluitur ille duabus partibus, quarum prior generatim adfectuum naturam & indolem; poſterior vero ſpeciatim diuerſas eorum ſpecies, inprimis ad Peripateticæ philoſophiæ principia tradit, a quo alius PEREGRINI tractatus diſtinguendus, qui de *moribus* inſcriptus Romæ anno M D C. in publicam prodiit lucem. Ceterum illuſtris IO. BVRC. MENCKENIVS *declamat. de charlataneria eruditorum* p. 157. de ALOYSIO LVISINO pariter ac LAELIO PEREGRINO minus benigne ſentit: *notæ ſunt Stoicorum nugæ,* inquit, *qui ſapientem credidere neminem, niſi qui perturbationum prorſus expers, hoc eſt homo marmoreus; aut ſtipes fuerit. Quos imitati ſunt quodammodo Aloyſius Luiſinus, Lælius Peregrinus aliique ſexcenti, qui ad compeſcendas ſuffocandasque feras animi libidines duriſſimas leges propoſuerunt;* ſed quæ heic duriora dicta videntur adiectis tertiæ editioni harum *declamationum* obſeruationibus mitiori intrepretatione ſunt expoſita;

PETRVS GASSENDVS, qui cum CARTESIO, DIGBAEO, MALEBRANCHIO aliisque adfectuum naturam ex ſcientiæ naturalis fundamento explicandam adgreſſus eſt *phyſic.* ſection. III. membr. poſterior. libro decimo integro p. 469. tom. II. operum. primum generatim de paſſionibus animæ; deinde ſpeciatim de voluptate & moleſtia, de amore & odio, de cupiditate & fuga, de ſpe ac metu, audacia & puſillanimitate, de ira & lenitate copioſe diſſerit, maxime philoſophiæ Epicureæ addictus;

RENATVS CARTESIVS, qui ſingularem quoque ſcripſit librum de *paſſionibus animæ*, quo indolem ipſarum phyſica magis, quam morali ratione explicare inſtituit, vti ipſe reſpon-

reſponſione ad ſecundam epiſtolam illi præmiſſam fatetur: *adparet, mihi propoſitum non fuiſſe, explicare paſſiones oratorio more, imo ne quidem inſtar philoſophi moralis; ſed ſolummodo vt decuit phyſicum.* At vero multa dixit, quæ erronea ſunt, nec ſi ad vitam noſtram debeant adplicari, vſui eſſe poſſunt. Etenim principali errore captus, quod omnes paſſiones animæ intellectui; actiones vero voluntati ſint tribuendæ, erroneam abſurdamque inde conſequentiam deduxit, adfectuum ſedem in intellectu eſſe quærendam atque admirationem ſpeciem eorum eſſe cenſuit, cuiusmodi minus recte ab eo tradita adhuc plura notauit CHRIST. THOMASIVS in *Ausübung der Sitten-Lehre* cap. II. III.

NICOLAVS MALEBRANCHIVS, qui ſex libros inſcriptos: *de inquirenda veritate* ſæpius editos lingua gallica compoſuit, quorum quinto doctrinam quoque de adfectibus animæ propoſuit, ita vt quamuis fuerit CARTESII aſſecla; veriora tamen interdum cogitauerit ac dixerit:

FRANCISC. BAC. de VERVLAMIO, qui quum viam monſtraret, qua ſcientiæ augeri atque ornari poſſent, partem quoque hanc philoſophiæ moralis attigit, eamque in numero earum doctrinarum collocauit, quarum maior cultura elegantiorque facies merito deſideretur. Id quod vt rite ac feliciori ſucceſſu fiat, tria momenta artis huius, quando ad morbos animi ſanandos valere debeat, conſideranda exiſtimat: *caracteres diuerſos diſpoſitionum, adfectus* & *remedia*, lib. VII. c. 3. de *dignitate & augmentis ſcientiarum* pag. 197. ſeq. oper. Quo loco merito miratur, *Ariſtotelem, qui tot libros de ethicis conſcripſit, adfectus, vt membrum ethicæ principale, in illis non tractaſſe; in rhetoricis autem, vbi tractandi interueniunt ſecundario, locum illis*

repe-

reperiſſe: & de Stoicis addit, illos talem adhibuiſſe induſtriam, *quæ potius in definitionum ſubtilitate; quam in tractatu aliquo pleno & fuſo conſiſteret.* Hinc rectius obſeruat, heic ea eſſe notanda, *quæ in noſtra ſint poteſtate, quæque operentur in animum voluntatemque & appetitum afficiant & circumagant, ideoque ad immutandos mores plurimum valeant.* Sic multis in illuſtranda hac doctrina prætulit lucem, ex quibus in primis nominandus eſt

VINCENTIVS PLACCIVS. Etenim prout VERVLAMII librum ſeptimum de *dignitate & augmentis ſcientiarum* commentario inſcripto: de *augenda ſcientia morali* atque edito Francof. MDCLXXVI. illuſtrauit; ita ipſius conſiliis incitatus fuit, vt cum in *typo medicinæ moralis* germanice ſcripto MDCLXXXV. tum *acceſſionibus ethicis* MDCXCV. medicorum artem in tractandi ratione imitaretur, cuius inſtituti ſummam breuiter exhibet ac recenſet GEORGIVS PASCHIVS de *inuentis nou-antiquis* cap. IV. §. 22. Cui ſtudio augendi ſcientiam moralem quum tradidiſſet ſe PLACCIVS, ſpeciatim quoque doctrinam de adfectibus ante oculos poſuit deque iſta emendanda ac rectius tradenda varia monuit: quamuis CHR. GOTTLIEB. SCHWARZII *diſſert. de æmulatione* §. III. ſententiam adprobandam eſſe cenſeamus: *ſed quamquam*, inquit, *inſtitutum & ordo huius viri haud ſecus, ac alia eius in rem litterariam merita magni ſint æſtimanda; neſcio tamen, quomodo ſterili & ſicco ſuo, atque ob nimiam ſubtilitatem, quam in nouis fingendis nominibus ſectatur, tantum non obſcuro ſcribendi genere ipſe parum in hoc argumento ſeſe commendet:*

MARINVS CVRAEVS de la CHAMBRE, cuius opus inſcriptum: *les characteres des paſſions*, MDCLVIII. MDCLXII. notiſſimum eſt & laudatur a DANIELE GE-

ORGIO MORHOFIO *polyhiſtor.* tom III. lib. I. §. II. *facunde*, inquit, *admodum & prolixe hic agit de affectibus, e phyſicis quoque fontibus caracteres eorum clare delineat, poteritque liber ille tribus diſciplinis inſeruire, phyſicæ, ethicæ & rhetoricæ;* ſed quum auctor diſciplinæ Peripateticæ maxime fuerit addictus hancque heic amplexus, facile e cognita dignitate doctrinæ Ariſtotelis colligi poteſt, quantum pretium libro huic ſit ſtatuendum:

IO. FRANCISCVS SENAVLT, auctor libri: *de l' vſage des pasſions* ſæpius editi, etiam MDCLXVIII. qui præ reliquis laudem omnino meretur. Namque non ſolum vt ingenuum decet philoſophum, libere diſſerit & ad normam rei ipſius iudicat, quid verum quidque ſit falſum; ſed & vtilia atque amœna proponit, niſi quod interdum in diuidendo nimius; in explanando vero breuior ſit, quam argumenti fert copia. Primus quoque videtur eſſe, qui vnicum principalem eſſe adfectum, amorem quippe, tradiderit, cuius reliqui adfectus eſſent ſpecies, quando p. 25. dicit: *ideo duce ſana ratione exiſtimamus, quod vna tantum ſit paſſio, quodue ſpes, timor, dolor & gaudium ſint amoris proprietates*; ſiue, vti dicuntur, modificationes:

CORNELIVS BONTEKOE *in tractatu ethico-phyſico de animi & corporis paſſionibus earundemque certiſſimis remediis*, qui editus & adiectus fuit ARNOLDI GEVLINCS *ethicæ* cura & ſtudio IO. FLENDERI, profeſſoris & rectoris Zutphanienſis MDCXCV. & MDCCIX. Ediderat quippe BONTEKOE ſub PHILARETI nomine ethicam GEVLINCS auctiorem, cuius vt nouum faceret ſupplementum, tractatum hunc de animæ paſſionibus adiiciendum curauit FLENDERVS:

MAGNVS DANIEL OMEISIVS, cuius *ars regendorum affectuum* addita eſt ipſius *ethicæ Pythagoricæ*, Altdorf. MDCXCIII. quæ parte generali ac ſpeciali abſoluitur ſeaque poſterior media ad ſingulas affectuum ſpecies regendas proponit:

ARNOLDVS WESENFELD, qui MDCXCV. edidit *introductionem ad georgica animi & vitæ; ſeu pathologiam practicam*, ac ſub initium eius varia obſeruauit, quæ doctrinæ huius hiſtoriam illuſtrare poſſunt; anno vero MDCXCVI. ipſa *georgica animæ & vitæ, ſeu pathologiam practicam moralem nempe & ciuilem ex phyſicis vbique fontibus* publici iuris fecit, cuius operis editio ſecunda MDCCXII. prodiit. Poſtquam cognouerat, vti dicta introductione teſtatur, neceſſe eſſe ad hanc doctrinam plenius exhibendam, *vt moralis & ciuilis paſſionum tractatio ex phyſicis fontibus deducatur, illaque inter ſe mutuo in tractando connectantur, quæ ſeparata a ſe inuicem vel mutila quodammodo & manca ſint; vel certe eum uſum in vita ciuili præſtare coniuncta valeant*; id omnino egit, vt argumento huic plenius & rectius tradendo ſatisfaceret, ac inprimis qui moralis ac ciuilis affectuum ſit vſus, monſtraret. In hanc pathologiam practicam commentarium; nec non *pathologiam ciuilem & militarem* edere, ipſi quoque fuit propoſitnm:

IO. WOLFFGANG TRIER, cuius ſtudio ſuccinctæ quæſtiones de animi commotionibus: *kurtze Fragen von den menſchlichen Gemüths-Bevvegungen* Lipſiæ MDCCVIII. publico vſui ſunt traditæ, quibus omnem commotionem aut ex voluptate; aut ex dolore oriri illamque amorem; hanc odium dici putat. Vt adpareat, quomodo in lectione hiſtoriarum ratio commotionum animi poſſit obſeruari, ſacras hiſtorias Eſtheræ & Ioſephi in exemplum adiecit variaſque obſeruationes de paſſionibus mentis addidit:

BESSE,

BESSE, auctor gallicus, cuius ſtudio Pariſiis MDCCII. prodiit liber elegantisſimus: *des paſſions de l' homme, où ſuiuant les regles de l' analyſe l'on recherche leur nature, leurs cauſes & leurs effets.*

Hoſce igitur ſcriptores de adfectibus enumeraſſe ſufficiat, quorum indicem facile augere poſſemus & exempli cauſſa addere OCTAVII BRANCIFORTII de *animorum perturbationibus partes duas; tableau des paſſions humaines par* COFFETEAV: item AVGVSTINI MASCARDI diſſertationes *de affectibus; ſiue perturbationibus animi earumque caracteribus*, SCHELHAMMERVM de *humani animi affectibus*, atque alios, ſi id ſcriptionis noſtræ modus permitteret. Quam ob rem non eſt, quod diſſertationum academicarum de adfectibus cum generatim; tum de illorum ſpeciebus mentionem faciamus.

*** Ratio quoque habetur in arte cognoſcendi aliorum animos *temperamenti*; ſiue conſtitutionis ſanguinis, quæ ex mixtura ipſius particularum diuerſi generis oritur, quum temperamentorum diuerſitatem non ſolum corporis; ſed & morum ac propenſionum diuerſam efficere indolem, plerique exiſtimant. Hinc temperamentum dici ſolet *ſignum cauſſale*, ex quo indoles animi cognoſcatur. Quæ veteribus medicis ac philoſophis de iſtis fuerit opinio, copioſe atque eleganter expoſitum fuit a IACOBO CAROLO SPENERO diſſertatione *hiſtoriam doctrinæ de temperamentis hominum* exhibente & ſub præſidio celeberrimi BVDDEI in academia Fridericiana anno MDCCIV. habita. Nec recentioribus medicinæ ac philoſophiæ cultoribus defuit ſtudium, in doctrinam hanc accuratius inquirendi eamque in clariorem euocandi lucem, qui modo temperamentorum naturam phyſicam; modo ipſorum nexum cum mente humana monſtrare inſtituerunt. Quorum ſcriptorum iam ſuperiori tempore copia omnino eſt, prout

ſunt FABRICIVS de *corporis humani temperamentis* Amſtelod. MDCXXIX. HENR. FOLLINI *modus cognoſcendi naturam humanam; ſive mores & temperamenta* Colon. Agripp. MDCXLIX. CAMILLVS BALDVS de *humanarum propenſionum ex temperamentis prænotionibus* MDCXXIX. vt de aliis, quos recenſitos deprehendimus laudata diſſertatione SPENERI §. LXXXIV. ſeqq. taceamus, cuiusmodi auctores, qui in perſcrutanda temperamentorum natura diligenter verſati ſunt, & noſtra tulit ætas. Etenim vt ſcriptores ethicæ diſciplinæ, quippe qui argumentum hoc attingere ſolent, dimittamus ſilentio, inprimis THOMASIVM ac BVDDEVM, STHALIVS MDCXCVIII. edidit *diſſertationem, qua temperamenta phyſiologico - phyſiognomico - pathologico - mechanice enucleantur*, quæ in linguam teutonicam translata anno MDCCXVI. ita inſcripta prodiit: *G. E. Stahls neu - verbeſſerte Lehre von den Temperamenten aus dem Lateiniſchen ins teutſche überſetzet von D. Gottfried Heinr. Vlau;* FR. HOFFMANNVS autem MDCCV. protulit *disputationem phyſico - moralem medicam de temperamento, fundamento morum & morborum in gentibus.* Neque non antea memoratus IO. WOLFFGANG. TRIER MDCCVII. edidit quæſtiones ſuccinctas de animi propenſionibus: *kurtze Fragen von den menſchlichen Neigungen*, quibus phyſicam de temperamentis doctrinam cum doctrina de moribus coniungit ac quatuor conſtituit propenſiones cardinales, *ſuperbiam; auaritiam, libidinem & gulam.* Præterquos adhuc legi poſſunt IO. DANIEL. LONGOLIVS, auctor ſcripti: *Wahrhafftiger temperamentiſt, Budiſſ.* MDCCXIV. & GOTTFR. POLYCARPVS MVLLERVS in *phyſio - logia morali de temperamentorum propenſionumque humanarum connexione* Lipſiæ MDCCVIII. Verum licet ſingularis multorum fuerit induſtria, quam in doctrinam hanc explicandam perpoliendamquæ contulerunt; non omnia tamen momenta illius ita cogitata ac perſpicue ſunt propoſita, vt communi confirmata ſint conſenſione.

Diſpu-

Diſputant enim cum de numero temperamentorum, quorum alii tria; alii quatuor ſtatuunt; tum de eorum mutatione, num iſta tantum intuitu gradus ſolius, an ſimul etiam ſpeciei fiat: quin immo nonnulli ipſorum nexum cum animi propenſionibus negarunt, vt FRIDERICVS MENTZ *meditatione philoſophica de temperamentis*, Lipſ. MDCCXII. quem ſecutus eſt IVLIVS BERN. de ROHR in libro: *Vnterricht von der Kunſt, die menſchlichen Gemüther zu erforſchen* cap. VIII. p. 243. adde ANDREAM RVDIGERVM *phyſica diuina* lib. I. cap. 3. ſect. 7. §. 50.

* Quum ſupra §. 1. varias ſignificationes vocis *caracteris* interpretaremur, duo auctorum genera obſeruauimus, qui argumentum χαρακτηριστικὸν ſint proſecuti, cuiusmodi etiam inter recentiores deprehendimus. Alterum eſt eorum, qui in illuſtranda phyſiognomiæ arte tempus conſumſerunt, vt præter FRANCISCVM SANCHEZ, CAMILLVM BALDVM, qui ARISTOTELEM illuſtrarunt, HONORATVS NIQVETIVS libris quatuor; IO. SIGISMVND ELSHOLTZIVS in *anthropometria*, ANDREAS OTTO in *anthropoſcopia compendiaria*, GVILIELMVS GRATOROLVS de *prædictione morum naturarumque hominum*, inprimis IO. BAPTISTA PORTA de *phyſiognomia hominis*, de quibus DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS *polyhiſt.* tom. II. lib. 3. §. 4. MARTINVS LIPENIVS *biblioth. philoſoph.* p. 1166. IO. ANDR. BOSIVS de *comparanda prudentia ciuili* §. CII. & GEORG. PASCHIVS de *inuent. nou-antiquis* cap. VII. §. 20. p. 601. legi poſſunt. Anno MDCXCVII. Londini edidit IOANN. EVELYN lingua anglica de *numiſmatibus antiquis pariter atque modernis diſſertationem*, cui per modum appendicis de phyſiognomia copioſam adiecit commentationem, qua ſingulas vultus humani partes conſiderat ac regulas, ex quibus de mentis

humanæ indole iudicium ferri poſſit, præſcribit easque teſtimoniis Ariſtotelis, Plinii, Plutarchi aliorumque, atque exemplis confirmare inſtituit. Alterum genus eſt, qui ad imitationem THEOPHRASTI *Ereſii* caracteres; ſiue notationes, deſcriptiones virtutum ac vitiorum dederunt. Iam ſupra monuimus, quod BRVYERIVS dictum Theophraſtum ſit imitatus & nouos ex ſuo ingenio addiderit caracteres, qui ſæpius gallice typis ſunt excuſi, etiam in linguam anglicam translati Londin. MDCXCVIII. Durius acceptus eſt ab anonymo quodam in *ſentimens critiques ſur les caracteres de Mr. de la Bruyere*, item AVIGNOLIO tom. I. p. 325. *miſcellaneorum hiſtoricor.* gallice editorum; cui autem auctor libri: *defenſe de Mr. de la Bryere & de ſes caracteres contre les accuſations & les obiections de Mr. de Vigneul Maruille* Amſt. MDCCII. reſpondit. Scripſerunt & alii caracteres morum, LVDOVICVS MOLINAEVS in *morum exemplari & caracteribus*, Lugdum. Batauor. MDCLIV. CAROLVS PASCHALIVS in *virtutum ac vitiorum caracteribus* Pariſ. MDCXV. IOSEPHVS HALLVS in *caracteribus virtutum & vitiorum* MDCXXVIII. IOACHIMVS PASTORIVS in *caracteribus virtutum* Ien. MDCLXIV. aliique. Ab eo tempore plures idem argumentum tentauerunt, vt tot libellorum gallicorum exempla teſtantur, qui in titulo *caracteres* præferunt, quales ſunt: *le Theophraſte moderne, ſuite des caracteres de Theophraſte & des penſees de Paſcal; caractere d'vn honnête homme; les differens caracteres des femmes du ſiecle; caracteres & portraits critiques ſur les defauts ordinaires des hommes; caracteres naturels des hommes en cent dialogues par Mr Bordelon.* Ex anglis quoque memorandus BOYERVS: *the Engliſch Theophraſtus of Mr. Boyer* MDCXCVI. MDCC II. confer IO. ALBERTVM FABRICIVM *biblioth. græca* lib. III. cap.

cap. 9. p. 241. ſeqq. & GEORGIVM PASCHIVM de *variis modis moralia tradendi* cap. IV. p. 360. Neque non huc ſpectat IO. BARCLAIVS in *icone animorum* Londin. MDCXXIV. & cum notis AVG. BVCHNERI MDCLXXXI. de quo libro HERMANNVS CONRINGIVS de *prudent. ciuil.* cap. XIV. p. 322. ita iudicat: *vnus, quod ſciam,* IO. BARCLAIVS *peculiarem dedit librum, iconem animorum, dictum, ita ſane elegantem, vt & æmulandi conatus videatur omnibus præreptus.* IO. HENR. BOECLERVS de *elegantia moris ciuilis & aulici* tom I. opp. p. 492. libellum *exquiſitæ ſubtiliſque elegantiæ eſſe*, fatetur. Speciatim adhuc de diuerſis moribus ætatum IO. MICH. DILHERRVS tom. II. n. 8. p. 127. *diſſertat. academicar.* & FRIDERICVS RAPPOLDVS *comment. in Horat. de arte poetic.* v. 158. ſqq. variarum nationum BODINVS *methodo hiſtoriar.* cap. V. & libr. V. cap. I. de *republ.* BESOLDVS *diſcurſu de natura populorum*: imperantium pro diuerſo imperii ſtatu MACHIAVELLVS *diſcurſ. in Liuium* lib. I. cap. 18. legi poſſunt.

** Recenſuimus adhuc ſcriptores illos, qui tantum partes quasdam artis de cognoſcendis aliorum animis illuſtrarunt, quum modo de affectibus; modo de temperamentis; modo caracteribus morum expoſuerint, ſicque artem iſtam accuratius ac plenius explanandam iuuerunt maxime. Reſtat igitur, vt ad integræ iuſtoque ordine traditæ artis auctores commemorandos accedamus, quales ſunt

SCIPIO CLARAMONTIVS, qui edidit de *coniectandis cuiusque moribus & latitantibus animi affectibus libros decem* Venet. MDCXXV. quos & recenſuit HERMANNVS CONRINGIVS Helmſt. MDCLXV qui præmiſſa

miſſa præfatione opus hoc ob ſingularem ipſius præſtantiam commendat mirifice, GABRIEL NAVDAEVS *bibliograph. politic.* p. 102. *ſemiotica morum efficere, non amplius operoſum; aut difficile cenſeri debet: poſtquam Flaminiæ decus æternum Scipio Claramontius methodum ipſius abſoluendæ tam eleganter præſcripſit in libro ante quinquennium Venetiis edito, de coniectandis cuiusque moribus & latitantibus animi affectibus*; & IO. ANDR. BOSIVS *de comparand. prudent. ciu.* §. CIII. librum hunc dicit *egregium.* Sed ſequitur CLARAMONTIVS principia philoſophiæ Peripateticæ, quæ dudum exploſa ſunt a recentioribus:

EDO NEVHVSIVS in *theatro ingenii humani; ſiue de cognoſcenda hominum indole ex ſecretis animi moribus libris duobus*, Amſtel. MDCLXIV. quibus non ſolum diuerſa ingeniorum; ſed voluntatum quoque ac morum humanorum genera oſtendit, cauſſas, vnde varietatem hanc prouenire cenſet, indicat atque interpretatur:

MARINVS CVRAEVS de la CHAMBRE in libro gallico: *l' art de connoître les hommes*, Amſtelod. MDCLX. cuius priori parte explicat naturam hominis, præcipue voluntatis indolem; poſteriori vero ſigna, ex quibus iſta poſſit colligi ac cognoſci, cum phyſica, tum moralia:

CHRISTIANVS THOMASIVS, qui MDCXCI. ſcriptum germanice edidit: *Erfindung anderer Gemüther zu erkennen.* quod extat in collectione inſcripta: *allerhand bisher kleine publicirte teutſche Schrifften* atque edita MDCCI. cuius cenſorem quum TENZELIVM in *colloqu. menſtr.* MDCXCII. fuerit expertus, anno eodem, vt ſe ab hac cenſura defenderet, protulit in lucem: *Weitere Erleuterung durch unterſchiedene Exempel*

pel des ohnlængſt gethanen Vorſchlags wegen der neüen Wiſſenſchafft, anderer Menſchen Gemuther erkennen zu lernen, qua occaſione argumentum hoc maiori tradidit ſtudio ac inprimis illuſtrauit exemplis.

IVLIVS BERN. de ROHR in ſcripto germanico: *Vnterricht von der Kunſt, der Menſchen Gemuhter zu erforſcen*, edito MDCCXIII. & MDCCXV.

IO. GEORG. LEVTMANN, qui ad idem argumentum explanandum operam ſuam contulit ac libellum inſcriptum: *noſce te ipſum & alios*, lingua germanica edidit, cuius editio ſecunda Vitemb. hoc anno prodiit. Fuerunt quoque, qui viam monſtrarunt, qua diuerſa hominum ingenia ſint cognoſcenda; ſed quum nobis de cognitione naturæ voluntatis humanæ diſſerere animus eſt; iſtos recenſere, diſſertationis noſtræ ratio haud poſtulat; eorum autem, qui ſpeciatim ex temperamentis mores humanos cognoſcendos exhibuerunt, CAMILLI BALDI, HENRICI FOLLINI atque aliorum iam ſupra facta eſt mentio.

§. III.

Ad rem ipſam explicandam adgredimur. Proinde decet, vt id, de quo diſſerendum, definiamus ſicque legitimum veritatis fundamentum ponamus. Per artem igitur aliorum animos cognoſcendi intelligimus ingenii vim, ex variis ſignis aliorum mentis indolem probabili ratione colligendi ſibique de iſta excitandi conceptus, vt huiusmodi cognitio graue momentum ad vitam prudenter inſtituendam adferat. Ars iſta dici ſolet *caracteriſti-*

ca propter caracteres; ſiue ſigna, ex quibus de ipſa mentis natura iudicamus atque illius nobis comparamus notitiam; etiam σημειωτική, quam ad exemplum medicorum nonnulli philoſophi ſingularem philoſophiæ moralis partem conſtituunt. At vero quum ſit humanæ induſtriæ opus, varia inſtitui poteſt ratione. Etenim modo præceptis noſcenda tradi; modo & doctrina & exercitatione acquiri; modo acquiſita ad vitæ vſum poteſt applicari. Quod ad primum induſtriæ, qua in arte hac tractanda verſari licet, modum pertinent, omnino regulæ ac præcepta de noſcenda aliorum indole dari poſſunt, quæ prout originem ſuam experientiæ, qua ſpeciales caſus in negotiis humanis obſeruamus eosque complectimur memoria, debent indeque ope rationis ad formam conceptuum vniuerſalium; ſiue regularum ſunt compoſita; ita eadem experientia magiſtra in dies augeri, amplificari, confirmari debent atque emendari. Sed vbi ſedes doctrinæ huic propria quærenda ſit? hac in re philoſophorum diſcrepant ſententiæ. Veteres quum partem tantum artis huius attigerint, ac ſparſim, velut aliud agendo, quædam attulerint, haud ſolliciti de legitimo loco ipſi tribuendo fuerunt, ſaltim in philoſophia morali argumentum hoc penitus fere intactum reliquerunt. Ex recentioribus plerique artem hanc ob ſingularem ipſius vtilitatem in ſumma felicitate comparanda in doctrina ethica explicandam ſibi propoſuerunt; nonnulli quoque in

par-

parte philoſophiæ, quæ actionum noſtrarum monſtrat prudentiam. Neque non peculiarem inde moralis ſapientiæ partem conſtituendam atque ad medicorum exemplum σημειωτικὴν, item *phyſiologiam moralem* adpellandam eſſe, quidam cenſuerunt, vt paullo ante a nobis eſt obſeruatum. Hinc HERMANNVS CONRINGIVS q) *ego quidem artem illam morum cognoſcendorum non auſim ethicæ philoſophiæ ceu partem tribuere; ſingularem potius artem eſſe dixerim, qua & ethicus & politicus & orator & in communi vita vnusquisque in rem ſuam poſſit & debeat vti :* & paullo poſt : *& vero vt in aliis variæ occupantur methodi & artes circa vnum idemque obiectum; ſed diuerſo conſiderandi modo : ita & de adfectibus animi non ſolius ethici eſt agere; ſed accuratior eorum & vere* ἐπιστημονικὴ *ſcrutatio opus eſt naturalis philoſophi :* ad quam ſententiam fere accedit VINCENTIVS PLACCIVS. r) Sed quamuis in cuiusque poſitum ſit arbitrio, quam tractandi rationem ſequi, quemque diſciplinarum ordinem conſtituere velit; ſi modo nexus neceſſarius haud rumpatur, quando quæ ex ipſius rei natura ſeparanda coniungimus; coniungenda vero ſeparamus ac ordinem immutamus naturalem; ea tamen, quæ in ordine conſtituendo ab arbitrio noſtro pendent, ita ſunt dirigenda, vt tractandi ratio fiat facilis ac commoda; nec præter neceſſitatem diſciplinarum numerus augeatur. Si igitur rem ipſam reſpicimus, nihil refert, vtrum ipſos actus vo-

q) *præfat. ad Claramontium.* r) *de ſcient. moral. augm. p.* 331. 333.

luntatis peculiari diſciplina tradas; in ethica vero, quomodo ad virtutis ſtudium voluntas componenda ſit, tantum monſtres; an vtrumque argumentum in ſola ethica doctrina complectaris. Si vero cogitamus ac quærimus, quæ tractandi ratio facilior ſit ac commodior, poſteriorem omnino priori præferendam eſſe cenſemus. Adhæc quum ipſa obiecta, quæ conſtituunt diſciplinas, ſæpe inter ſe coniuncta ſunt & apta; eadem quoque ratio eſt diſciplinarum, vt altera alteram iuuet mutuamque ſibi præferant lucem, ſi rei expoſitio plenior atque accuratior fieri debeat. Quocirca licet ars aliorum animos cognoſcendi, habeat quædam ex ſcientia naturali; pleraque tamen illius momenta ad mores vitamque hominum ſpectant, ideoque rectius philoſophiæ morali vindicatur, ac noſtra quidem opinione, parti politicæ, in qua cognitio rerum, in quibus tractandis verſamur, adeoque hominum, legitimum eſt fundamentum, vnde conſilia de vtilitate promouenda rite capi debeant. Quod ſi ars hæc præceptis regulisque tradita eſt, duplici adhuc modo in iſta induſtriam monſtrare poſſumus, partim cognoſcendo quæ dicta ſunt atque expoſita; partim per ſedulam exercitationem adplicando, quæ noſtra cepimus mente. Quas ſingulas ſtudii humani in arte hac ſpecies diſſertatione hac diſtincte explicabimus, quumue in iſta pleniori habitu tradenda tria momenta debeant; conſiderari, *res*, quæ cognoſcenda, tum *ſigna*;

ſeu

ſeu fundamenta, vnde huiusmodi notitia acquirenda ac, denique *modus cognitionis*; quoduis momentum interpretari atque illuſtrare inſtituemus.

§. IV.

Primum igitur ipſam doctrinam artis huius breuiter proponemus, in qua iterum primo loco ſeſe offert explicandum *obiectum* huius cognitionis, quod eſt indoles voluntatis, eaque naturalis. Etenim δοκιμασία ſpiritualis ac ſpeciatim, vti dicitur, diſcretio ſpirituum, quæ, vt inquit CHRYSOSTOMVS, s) *ſignificat cognitionem, quisnam ſpiritualis ſit, quis non: quis propheta, & quis deceptor*, requirit caracteres fidei, regenerationis, conuerſionis, quos ſcriptura ſacra tradit, nec ratio poteſt capere. Eorum, qui nondum gratia diuina ad meliorem mentis ſtatum ſunt traducti, in moribus tria ſunt genera. Alii ſine vlla hæſitatione belluarum more omnia ſibi licere exiſtimant, quæue corruptæ libidini conſentanea ſunt, aperte aut loquuntur; aut perpetrant. Alii indulgent quidem prauis cupiditatibus, ſed ea, quibus illæ ſeſe produnt, diſſimulare ſolent, non quod prauitatem eorum agnoſcunt; ſed vt mala, quæ ex perdita viuendi ratione proficiſcuntur, euitent. Alii denique quum prauos mentis motus impetusue rite cognouerint, illis medicinam adhibere, honeſtatem ſectari ac ſaltim virtutum ſpecie ſe commendare conantur. Primi ſunt ſtulti:

s) *homil.* XXIX. *in* 1. *ad Corinth.*

ſecundi mediam viam inter ſapientiam & ſtultitiam ſibi eligunt, ac tertii ſunt ſtudioſi ſapientiæ. Solet ceteroquin ſtatus hominis a quibusdam diuidi in *beſtialem*, *humanum* & *chriſtianum*, quam diuiſionem apud HIERONYMVM in libro de *viro perfecto* inueueniſſe ſe, nonnulli ſibi perſuadent: quamuis librum iſtum ſine ratione HIERONYMO tribui, inter omnes conſtet. Nec eſt, quod diuiſioni huic ponamus pretium. Namque quum ſtatus *beſtialis & humanus* gradibus tantum differant, adhuc alium eum que medium inter hoſce ponendum eſſe, ipſa docet experientia, quippe quæ diſtinctionem a nobis obſeruatam confirmat. Qui in ſtatu *humano* conſtituti ſunt, ſequuntur rationem; in *beſtiali* cupiditatibus, ſimul ac ſeſe mouent, obtemperant, præter quos adhuc alii ſunt, qui neque primum cupiditatum impetum ſequuntur; ſed ope contrarii affectus excitati turpia ſæpe fugiunt, propter quos tertius omnino gradus inter *beſtialem* & *humanum* eſſet conſtituendus. Horum igitur indoles mentis poteſt explorari, qui adhuc ratione variarum circumſtantiarum, aetatis, ſexus, profeſſionis, dignitatis ac quæ aliæ ſunt, poſſunt conſiderari. At vero eorum quoque, qui diuina ope vere chriſtiani ſunt geniti, indoles naturalis eſt perſcrutanda, quippe quæ in ſtatu gratiæ non aufertur; ſed emendatur ac perficitur.

§. V.

Id, quod heic explorandum eſt, dicitur a nobis *indoles voluntatis*, id eſt propenſionum, ambitionis quip-

quippe, voluptatis atque auaritiæ diuerſa mixtura, qua pro diuerſo ipſarum facultatum gradu non ſolum ſe inuicem diuerſa ratione adficiunt; ſed & diuerſas producunt actiones. Accurate obſeruat ANDREAS RVDIGERVS, t) triplicem eſſe hanc indolem, ac primam dicit *ſolitariam*, ſi vna maxime propenſio, ſiue ſit ambitio; ſiue voluptas; ſiue auaritia; reliquas duas, etiam coniunctas vi ſua ſuperet; ſecundam *binariam*, quando duæ propenſiones æqualem fere inter ſe habent facultatem; tertia vero hisce duabus multo eſt inferior; ac tertiam *ternariam*, ſi in ſingulis tribus æqualis fere vis ineſt. Sic infinitæ prope oriuntur indoles, quarum principes tamen decem recte numerat RVDIGERVS: tres ſolitarias, *ambitioſam*, *voluptuoſam* & *auaram*: ſex binarias, ex *voluptate & ambitione*; *voluptate & auaritia; ambitione & voluptate; ambitione & auaritia; auaritia & ambitione, auaritia & voluptate* mixtas: vnam ternariam, ex *ſingulis tribus* æquali robore præditis compoſitam. In qua propenſionum mixtura diuerſitatem cum roboris, quo valent, *gradus;* tum qui inde ſequitur, *effectus* conſiderare decet. De *gradibus*, quibus vires propenſionum inter ſe differunt, commode nobis per numeros formare poſſumus notiones, ita vt in noſtro ſit arbitrio, quemcunque ſummum velimus facere, pro quo plerique ſexageſimum ſumunt, hoc modo: in iſto homine eiusmodi ineſt indoles, vt ambitio ipſius ſex-

t) *philoſoph. pragm.* p. 133. part. III.

ſexageſimum; voluptas triceſimum & auaritia decimum attigerit gradum. Ex hac diuerſa mixtura ac diuerſo virium gradu oriuntur quoque diuerſi *effectus* duplici modo. Primum enim propenſiones non ſolum ſe inuicem; ſed & quas gignunt, ſpeciales inclinationes & mores diuerſa ratione afficiunt, quum I) *inter illas ſit pugna*, qua altera pro ratione virium alteram aut vincit; aut temperat; aut inuictam relinquit, quum propenſiones ſæpe inclinent ad contraria obiecta. Sic non ſolum generatim ipſa auaritia atque ambitio voluptati ſeſe opponunt; ſed idem quoque in ſpecialibus inclinationibus moribusque, quos principales propenſiones producunt, obſeruare licet, quando exempli cauſſa voluptatis negligentiæ atque inconſtantiæ auaritiæ atque ambitionis diligentia, patientia ac conſtantia; voluptatis prodigalitati auaritiæ parſimonia; item vtrique cum ambitioni; tum auaritiæ candor, ſinceritas, loquacitas, facilis reconciliatio voluptatis ſunt contraria. Cuius repugnantiæ diuerſus contingere ſolet exitus. Etenim ſi exemplum ponamus, ſtudium ebrietatis, quod in voluptatibus dedito homine ineſt, vinci poteſt; aut ſaltim temperari per ambitionis atque exiſtimationis ſtudium, ſi propenſio hæc aut maiori; aut fere æquali valeat robore; quod ſi autem ſit inferior, facile fieri poteſt, vt voluptas ſtet inuicta. Quin immo principalis quædam propenſio interdum contra ſe ipſam agit: II) *quædam propenſiones ſe inuicem augent, ſtimulant ac promouent.* Namque nonnullæ inclinant quidem ad idem

idem obiectum; quamuis non eadem ratione. Sic qui oritur ex voluptate, amor luſus & per ambitionem & per auaritiam; nec non prodigalitas & conſtantia in amore accedente ambitione poſſunt augeri: III) ſunt quoque propenſiones, *quæ ſibi inuicem neque reſiſtunt*; *neque adferunt incrementum*, quando obiectum diuerſum, nec ideo idem; nec contrarium eſt: exempli cauſſa voluptatis muſicæ delectatio ab oppoſitis ambitione atque auaritia neque minuitur; neque augetur. Adhæc effectus, quos mixtura propenſionum diuerſique virium gradus producunt, in ipſis hominum actionibus obſeruamus, quippe quæ pro vario indolis genere diuerſo quoque modo ſe prodere debent, ad quod momentum in arte alios cognoſcendi maxime animum aduertere debemus.

§. VI.

Cognita mentis indole, via quoque aperitur ad cognitionem intentionum ac conſiliorum humanorum, ad quam veluti grauiſſimam prudentiæ partem in ſtudio aliorum animos explorandi peruenire etiam debemus. Quo ſpectat *diuinatio moralis*; ſiue *politica*, cuius ea eſt ratio, vt cognitis præſertim animi indole aliisque fortunæ circumſtantiis ac momentis huc ſpectantibus, cuiusdam intentionem indeque conſilia ac futura negotia per coniecturam præuideamus & acquiſita harum rerum notitia, iudicemus, quid boni, quid mali ab iſto ſit exſpectandum. Vnde prudentiam eſſe quodam modo

diuinationem dixit, CORNELIVS NEPOS: u) *perſcripta ſunt, vt nihil in his non appareat; & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe diuinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quæ viuo ſe acciderunt, futura prædixit; ſed etiam, quæ nunc vſu veniunt, cecinit vt vates.* Qua facultate ſe præditum fuiſſe, ipſe CICERO, præſertim epiſtolis ad Atticum prædicat, ex quibus SCHOTTVS x) collegit exempla; ſingularem autem diatriben de *diuinatione Ciceronis in exemplum diuinationis ciuilis* edidit NICOL. HARSCHERVS. y) Pertinet huc & illud Ouidii: z)

augurium ratio eſt, & coniectura futuri,
hæc diuinaui, notitiamque tuli.

Cognitis enim variis, præſertim animi circumſtantiis, ratio per coniecturam; ſiue concluſionem, quæ vim probabilitatis præ ſe habet, futuros euentus adſequitur. Quæ probabilitas *practica* dici poteſt & ratione obiecti vel phyſica; vel moralis eſt; ratione modi vero continet aut affirmationem; aut negationem, cuius quum princeps ſpecies ſit medica, rationem videre poſſumus, cur Aeſculapius diuinationibus præfuerit, quam clare quoque exponit MACROBIVS: a) *nam Apollodorus in libris, quibus titulus eſt* περὶ θεῶν *ſcribit, quod Aeſculapius diuinationibus & auguriis præſit. Nec mirum: ſiquidem medicinæ atque diuinationum conſociatæ ſunt diſciplinæ. Nam medicus vel commoda; vel incommoda in corpore futura prænoſcit.*

§. VII.

u) *vita Attic.* cap. XVI. x) *not. ad Nepot.* c. I. y) Marburg. MDCCX. z) *triſt.* I, 8. a) *ſaturn.* lib. I, cap. 20.

§. VII.

Expoſita re, quæ in hacce arte cognoſcenda eſt, peruenimus ad explicanda *ſigna*, quæ nos in latentium propenſionum cognitionem deducunt adeoque huiusmodi notitiæ ſunt fundamenta. Signa iſta ſenſus noſtros ipſa afficiunt, ex quibus, ſiue per experientiam propriam; ſiue per aliorum teſtimonia obſeruatis ac cognitis, ratio de natura atque indole mentis conclusionem format hacque cognitione id adſequitur, quod ope ipſorum ſenſuum noſtrorum haud percipere poſſumus. Plerique ethicæ, ſpeciatim ſic dictæ characteriſticæ auctores ſigna iſta diuidere ſolent in *cauſſalia* & *non cauſſalia*. Per *cauſſalia*, ſumta voce in laxiori ſignificatione, intelligunt partim ipſas propenſionum ac morum cauſſas; partim res, quæ occaſionem indolis cuiusdam animi ſuppeditant. Ad cauſſas præcipue refertur temperamentum cuiusque hominis, quod ſaltim ad mentis indolem multum conferat; ad res autem, quæ tantum occaſionem efficiant, ſpectare circumſtantias externas generis, educationis, aetatis, profeſſionis, cetera putant. Signa *non cauſſalia* iterum diuiduntur in *naturalia*, quae phyſiognomi recenſere ſolent, & *moralia*, quo pertinent verba & facta, quae momenta breuiter ac perſpicue exponit IO. FRANCISCVS BVDDEVS. b.) Alii eadem quidem ſigna admittunt, quamuis eorum diuiſionem alia inſtituant ratione. Etenim dicunt, iſta eſſe vel *phyſica*; vel *moralia*; atque ad priora referunt cum

 tem-

b) *elem. phil. practic.* part. I. cap. 5. §. 6. ſq.

temperamentum; tum ea, quae alii adpellant naturalia ac phyſiognomiae auctores commendant, ex quibus ipſum alterius cognoſcendum ſit temperamentum.

§. VIII.

Primum diſſeramus de *ſignis phyſicis*, in quibus a plerisque præ aliis commendatur *temperamentum*. Exiſtimant quippe, quod temperamentum ad producendas propenſiones multum valeat, adeo vt iſto, veluti cauſſa, cognito, facile quoque effectus, ſiue indoles animi, poſſit fieri manifeſtus. Quocirca ex temperamento cholerico ambitionem; ſanguineo voluptatem & melancholico auaritiam colligunt, id quod ſignum licet non penitus reiiciendum eſſe, cenſeamus; ei tamen haud plus; quam pro ipſius dignitate decet, tribuendum arbitramur. Nam quamuis experientia ſatis confirmet, quod corporis natura ac ſanguinis modus magnam vim ad affectuum, præcipue voluptatis atque iræ, gradum & augendum & minuendum adferat; ea tamen, quæ vulgaris doctrina de temperamentorum nexu cum indole animi tradit, quod iſta propenſiones, quæ in nobis per vim habitus inſunt, ambitionem, voluptatem & auaritiam producant, dubia omnino ſunt; nec eam, quam multi credunt, præſe habent certitudinem. Ipſa enim experientia nos docet, quod multi voluptatis ſtudio trahantur, licet cholerici; aut phlegmatici habeantur. Nec ſi quatuor temperamenta, cholericum, ſanguineum, melancholicum & phlegmaticum admittantur, numerus eorum cum numero harum propenſionum, quarum tres ſunt, conuenit.

Ad

Adhæc per naturam & corporis & animæ probabilior eſt eorum ſententia c, qui in ipſa mente ſeorſim ſpectata determinationem ad certam bonorum adparentium ſpeciem fieri, adſerunt. Quocirca fatemur omnino, cognitionem temperamenti cuiusdam in noſcenda mentis indole haud ſingularem præſtare vtilitatem, inprimis quum via ad hancce ſcientiam per ſigna moralia multo certior, breuior & facilior ſit, quam ſi antea temperamenti natura aperiri debeat; ac, iſta quoque aperta, incertum adhuc ſit, num ipſius rationi mentis indoles reſpondeat. Notas, per quas temperamentum ſit cognoſcendum, recenſent ac commendant phyſiognomiæ cultores, quæ a nonnullis ſigna *non cauſſalia*, eaque *naturalia* dicuntur, quum naturalem quidem nexum cum temperamento, adeoque propenſione hominis habeant; quamuis rei huius cauſſa ſit occulta. ARISTOTELES nouem eiusmodi commemorat ſigna, ac phyſiognomos aliquid colligere dicit ex motibus, figuris, coloribus, motibus in facie adparentibus, læuitate, voce, carne, partibus ac corporis figura. Sed SCIPIO CLARAMONTIVS c) tria totius phyſiognomiæ capita eſſe putat, temperamentum, conformationes partium ac motus corporis, quando dicit: *tria in vniuerſum phyſiognomiæ capita ſunt. Primum temperamenta inquirit ex eorumque varietate morum varietatem. Secundum conformationes partium ex illisque itidem elicit mores. Tertium motus corporis conſiderat, & ex illis rurſus mores inueſtigare annititur.* Quæ vt clare ac diſtincte capiamus, neceſſe eſt, vt cum rem ipſam, tum doctri-

 nam

c) de *coniect. mor.* lib. v. c. 2. §. 1. p. 156.

nam phyſiognomiæ eiusque rationem reſpiciamus. Res ipſa complectitur ſigna, quæ ex corporis eiusque partium figura, motibus, colore, lineamentis ac ſimilibus ſumuntur, vt aut temperamenti; aut nullo alio interueniente ſigno, ipſius mentis indolem prodant. Alii enim ex ſignis hiſce haud quidquam, præter temperamentum, ſumſerunt ſibi perſcrutandum, vt IO. BAPTIST. PORTA; alii vero arti huic ipſam animi naturam pernoſcendam propoſitam eſſe, exiſtimarunt, nec mentionem fecerunt temperamenti, in quibus eſt ARISTOTELES: ac tertium genus datur eorum, qui vtrumque & temperamenti & propenſionum rationem inde dignoſcendam coniunxerunt. At vero quando doctrina harum rerum *phyſiognomia* dicitur, vox iſta & ſignificatione latiori & ſtrictiori vſurpari ſolet, vt vi illius comprehendat omnia horum ſignorum genera; hac vero quandam eorum ſpeciem ac a *metopoſcopia* & *chiromantia* diſtinguatur. Stricte ſic dicta *phyſiognomia* corporis partium motum, magnitudinem, colorem, figuram atque harmoniam, ſpeciatim faciei, oculorum, naſi, oris, vocis acpronuncitionis rationem veluti ſigna laudat: *chiromantia*; ſiue rectius *chiroſcopia* eſt diuinatio ex inſpectione linearum in manu; in quibus arcanas temperamenti ſignificationes ineſſe putant; *metopoſcopia* vero ſigna, quæ fronti eiusque lineis a natura impreſſa creduntur, exhibet. Arti igitur iſti, inprimis phyſiognomiæ ſpecialiori, in aliorum animis cognoſcendis multi magnum ſtatuunt pretium, cuius dignitatem vt vindicent ac tueantur, non ſolum auctoritate teſtimoniorum atque experientiæ ſe muni-

muniunt; ſed & rationes, ex quibus rei huius fundamentum pateat, proferunt. Sic quod ad teſtimonia aliorum adtinet, Damaſcius in Iſidori philoſophi vita apud PHOTIVM d) dicit: ἀγάλματα ἦσαν ὀφθαλμοὶ τῆς ψυχῆς ἀκριβῆ, *oculi erant perfecta animæ ſimulacra; oculos* autem *in terram deiicere* eſt apud TERENTIVM e) verecundiæ, PLVTARCHVM f) mœroris; HORATIVM g) pauoris: frontem adpellat CICERO h) *ianuam animi*, de qua & PLINIVS i) *frons & aliis; ſed homini tantum triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index.* MARTIALIS: k)

crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,
rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es;

ac IVVENALIS: l) *frontemque manumque præbebit vati*, cuiusmodi teſtimonia plura collegit GER. IO. VOSSIVS. m) Nec ſolum profanos, ſed & ſacros teſtes accerſunt, quod vultus ſit index mentis, ac ſtatus corporis argumentum animi, quum SALOMONI n) ſuſpecti ſint illi, *quorum oculi elati & quorum palpebræ extollant ſeſe;* item: o) *qui nictent oculis ſuis, verba faciant pedibus ſuis, doceant digitis ſuis;* id quod adhuc clarius indicet SIRACIDES. p) Extant quoque eorum exempla, qui artem hanc exercuerunt ac huius modi ſignorum ope ianuam ad latentes hominum inclinationes aperire voluerunt. De Pythagora teſtantur GELLIVS. q) IAMBLICHVS, r) PORPHY-

d) *cod.* CCXLII. e) *eunuch.* act. III. ſcen. 5. v. 135 f) de *vitioſo pudor.* princ. g) lib. I. *epiſt.* 6. v. 14. h) de *petit. conſul. cap.* II. i) lib XI. c. 37. k) lib. XII. epigr. LIV. l) VI. 583. m) *inſt. orat.* lib. VI. cap. II. pag. 529 n) *Prou.* XXX. 13. o) VI. 13. p) XIX. 26.

PHYRIVS, s) quod ex vultu totiusque corporis habitu & motu diſcipulorum indolem perſpexerit; Chryſis autem illa apud PETRONIVM t) dicit: *vides me? nec auguria noui nec mathematicorum cælum curare ſoleo: ex vultibus tamen hominum mores colligo, & quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio*, quæ licet a PETRONIO ſint ficta; indicant tamen haud obſcure, quod ipſius ætate hæc phyſiognomiæ ſtudia fuerint cognita. Accedit, quod iam vetuſtiori ætate ars hæc litteris ſit tradita, cuius auctores ſupra u) commemorauimus ARISTOTELEM, POLEMONEM & ADAMANTIVM, præter quos ARTEMIDORVM, cuius onirocritica exſtant, ſcripſiſſe χειροσκοπικά, auctor eſt SVIDAS. Sic phyſiognomiæ cultores antiquitatem illius in luce poſitam eſſe, obſeruant, cuius dignitas vt pateat illuſtrior, ad experientiam inprimis prouocare ſolent, quæ teſtetur abunde, corporis habitum prodere mentis naturam moresque, ita vt exempli cauſſa viuidus & rubicundus color in facie ſignum ſit voluptatis; inceſſus vero grauis ac lentus ambitionem voxque acuta animum mollem ſignificet. Neque non præcipue recentiores fundamentum ſignorum phyſiognomicorum monſtrare inſtituunt, quando diuerſum corporis habitum ex temperamentorum varietate oriri, hancque iterum diuerſam animi indolem efficere obſeruant: proinde ex corporis ratione temperamentum; ex temperamento mentis

q) N. A. I. 9. r) *vit. Pythag.* cap. XVII. s) *vit. Pythag.* ſect. XIII. t) *ſatir.* cap. CXXVI. u) §. I.

tis ſtatum cognoſcendum eſſe aſſerunt, de quo argumento præter iam laudatos auctores, ſpeciatim de voce LVDOVICVS CRESOLLIVS x) ac de inceſſu veluti indice mentis IO. GOTTLIEB. HEINECCIVS y) legi poſſunt. Quam vulgarem doctrinam non penitus reiiciendam; varia autem illius momenta rectius tradenda eſſe cenſemus, ſiue ipſa ſigna; ſiue modum, quo per iſta indolem mentis cognoſcendam eſſe, phyſiognomi putant, reſpiciamus. Etenim quod ad vultus humani ſtructuram & rationem adtinet, admiratione omnino maxima illius varietas in ſingulis hominibus digna eſt, quod in tanta mortalium multitudine admodum raro vel duo inueniantur, qui ſibi vultu prorſus ſunt ſimiles. Idquod eo magis mirari decet, quod partes, ex quibus vultus componitur, non multæ & vnius ſunt generis, vt iam PLINIVS z) obſeruauit, qui quum de ſermonis & linguarum varietate diſſeruiſſet, addit: *iam in facie vultuque noſtro quum ſint decem; aut paullo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere, quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando.* Neque igitur exiſtimandum, ſine conſilio ſapientiæ diuinæ eiusmodi varietatem extare vultuum, id quod inprimis ad vitæ ſocialis grauiſſima mala euitanda erat neceſſarium, vt pluribus celeberrimus IO. FRANCISCVS BVDDEVS a) noſter oſtendit. Sed vti haud affirmari poteſt, quod ſpeciali quadam dei cura cuique hominum ſingularem quandam vultus ſtructuram rationemque contingere; ita vultus conformatio nullo naturæ indicis nititur fundamento, quum tota impreſſioni debeatur matris. Nec eſt, quod experienti-

 am

x) *vacat. autumnal.* y) diſſert. de *inceſſu animi indice.* z) lib. VII. c. I.
a) *theſib. de atheiſm. & ſuperſtit.* cap. v. p. 414.

am id nos docere, aſſeramus. Exempla enim, quæ experiendo obſeruantur, inter ſe ſunt repugnantia ac contraria, vt inde haud quidquam, quod regulæ teneat rationem, colligi poſſit ac definiri. Recte CICERO: b) *quaſi velis quibusdam obtenditur vnius cuiusque natura: frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur*, qui quamuis differat deſimulatione; idem tamen de naturali vultus figura indoleque dicendum eſt, ſi ex iſta animi naturam velimus perſpicere. Sæpe omnino duos homines deprehendimus, quibus ſimilis fere mentis eſt indoles, atque exempli cauſſa eodem lætitiæ adfectu commoti riſum edunt, quamuis diuerſa vultus conformatione: ex quo id patere cenſemus, quod diuerſitati muſculorum ac minimarum partium vultus ſtructuræ diuerſa mentis indoles haud reſpondeat. Idem quoque de metopoſcopia ac chiromantia iudicandum eſſe, arbitramur. Nam licet haud affirmemus, lineas frontis manusque omni prorſus carere fundamento; id tamen nondum ſatis expeditum eſt, vt adeo ſigna, quæ vulgaris phyſiognomiæ ars commendat, non magni ſint momenti. Nec nexus firmior eſt, quem plerique inter ſigna hæc atque animi naturam, interueniente temperamento, monſtrare volunt. Etenim licet ex corporis habitu colligamus temperamentum cholericum, inde tamen nondum mentis indolem poſſumus perſpicere, id quod ex iis, quæ paullo ante de temperamentis eorumque cum propenſionibus nexu diſputauimus, patet. Ceterum in corpore noſtro aliæ notæ adparent, quæ mentis ſignificant vim naturalem. Primum enim adfectus; ſiue commotiones animi vehementiores, interueniente ſingulari ſanguinis motu, in variis corporis

b) lib. I. epiſt. I. *ad Qv. fr.*

ris partibus haud obſcure ſe repræſentant, ac luculentiſſimum maximæ diuinæ prouidentiæ produnt argumentum; at vero quum pro diuerſitate propenſionum ad certam adfectuum ſpeciem ſimus procliues; ſigna eorum mores quoque atque voluntatis inclinationes indicare poſſunt. Sic ira varia forma prodit in lucem, quam eleganter deſcribit SENECA: c) *iraſcentium eadem ſigna ſunt, flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens.* Cuiusmodi ſigna tum ſignificant ambitionem, ſi quendam ad hanc iræ perturbationem eſſe procliuem, obſeruamus. Adhæc vi quadam mentis naturali certum corporis motum aſſumere, atque iſtum per conſuetudinem poſſumns confirmare, quales motus notæ quoque ſunt, ac quas mentes dederit nobis natura, denotant. Id quod præcipue in inceſſu ac voce adparet. Inceſſui iam veteres multum hac in cauſſa tribuerunt. CICERO: d) *cauendum eſt, ne aut tarditatibus vtamur in greſſu molioribus, ne pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates. Quæ quum fiunt, anhelitus mouetur, vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam.* Sic ſignum habetur ambitionis inceſſus grauis ac lentus; voluptatis mollis atque inconſtans

c) de *ira* lib. I cap. I. d) de *offic*. lib. I. cap. 36.

motus & auaritiæ greſſus incompoſitus ac difficilis. Idem quoque nonnulli obſeruant de voce. Quorum motuum, præcipue in inceſſu, ratio maxime dependet a mente hominesque, quorum mores ad ambitionem incumbunt, ideo abhorrent ab omni leuitate adeoque celeri atque incitato inceſſu, vt per ipſius grauitatem concilient ſibi auctoritatem atque exiſtimationem, inprimis ſi educatio propenſioni naturali conſentanea ac conſuetudo accedunt. Hinc ſi omnia penitus inſpiciantur, ſigna adfectuum in corpore conſpicua atque inceſſus rectius ad moralia, quam phyſica debent referri, quum ab ipſis producantur propenſionibus ſeque in quodam corporis habitu manifeſtant.

§. IX.

Accedimus igitur ad ſigna *moralia*, quæ ipſarum propenſionum ſunt effectus adeoque maiorem dignitatem, euidentiam ac certitudinem præ ſe habent, quam ſigna phyſica, quum in eorum vſu a modo effectus ad rationem cauſſæ propter arctisſimum vtriusque nexum concludamus. Comprehendunt *&* *ſermonem* & *facta*, ad quorum notitiam duplex nobis propoſita eſt via. Etenim aut ipſi per experientiam ac conſuetudinem cum aliis eiusmodi obſeruamus ſigna; aut eorum nitimur teſtimoniis, quippe qui proba fide nobis referunt, quæ alii modo dixerunt, modo fecerunt. Quo poſteriori medio adiuti, de multorum indole poſſumus iudicare, quos noſtra ætas haud tulit; nec nobis conſuetudine illo-

rum

rum fruendi, data eſt occaſio. Quapropter hiſtoricorum, qui ſingulari cura res ab aliis geſtas memorant, munus in arte noſtra maiori ſtudio colenda ac promouenda maxime eſt conſpicuum, quique hac ſapientiæ doctrina exculti ad hiſtoriarum litteras accedunt, vberiorem verioremque inde capere poſſunt fructum atque in aliorum proferre vſum. Namque cognita hominis cuiusdam indole, ipſa facta ac conſilia, quo animo quoue ſtudio ſint ſuſcepta, accuratius licet intueri: quam in rem inprimis legendus eſt IO. ANDREAS BOSIVS. e)

§. X.

Pertinet ad ſigna moralia *ſermo*, cuius vim in aliorum mente exploranda iam veteres ſapientiæ magiſtri notarunt diligenter. THALES] *Mileſius, non multa verba prudentis animi indicium eſſe*, cenſuit. f) Idem docuit SOLON aſſerens: τὸν μὲν λόγον εἴδολον εἶναι τῶν ἔργων, *ſermonem eſſe quidem imaginem operis*, auctore DIOGENE LAERTIO: g) qui & de DEMOCRITO refert, h) quod dixerit: λόγος ἔργȣ σκιή, *ſermo operis vmbra eſt*, quod dictum refert quidem MICHAEL PSELLVS i) ad Simonidem; & ISIDORVS PELVSIOTA k) ad Lacedæmonios; a PLVTARCHO vero l) & ſcholiaſte rhetoricorum Ariſtotelis tribuitur quoque Democrito. Hinc & illud SOCRATIS, qui iudicabat, optimum animi indicem eſſe orationem, notiſſimum eſt: *loquere, vt te videam*; m) CICE-

e) *diſſert. iſagogic. de comp. prud. ciuili.* f) apud Diog. Laertium lib. I. ſ. 34. g) lib. I. ſegm. 58. h) lib. IX. ſeg. 37. i) de *dæmonib.* pr. k) lib. III. *epiſt.* 232. l) de *pueror. educat.* m) apud Apulei. lib. II. *flor.* p. 122.

RO n) autem docet : *qualis cuiusque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem; qualis autem ipſe homo eſſet, talem eius eſſe orationem : orationi autem facta ſimilia, factis vitam.* Cuiusmodi teſtimonia adhuc plura SENECAE, GELLII, STOBAEI aliorumque exſtant. Ebræorum quoque genti idem fuiſſe cognitum atque exploratum, quod oratio demonſtret animum, conſtat : ex quibus SIRACHIDES o) iſtam eleganter πειρασμὸν hominis adpellat, qua quid in animo lateat, edoceamur clariſſime. Sed non eſt, quod id, quod ex ipſius rei natura patet, copioſe teſtimoniis confirmemus. Quodſi enim inter ſermonem ac mentis cogitationes ſtudiaque ſumma eſt coniunctio, quum per verba aliis, quæ cogitamus quæue volumus, ſignificamus, euidens adparet ratio, quomodo iſta animum poſſint prodere. Id quod fieri ſolet directe ac indirecte : *directe* per ipſum orationis argumentum. Quisque enim dare ſe ſolet in ſermonem de eiusmodi rebus, quarum naturali ducitur ſtudio, cuius orationis duplex inuenitur genus. Alterum eſt illorum, qui ſemper in ore habent, quæ ſunt in animo, quale pectus haud difficulter aperiri ac cognoſci poteſt; alterum vero eorum, qui exiſtimationis ſtudioſi, in oratione honeſti præferunt ſpeciem atque integumentis vtuntur diſſimulationis. Quæ turpia ſunt atque animum honeſtatis penitus expertem monſtrant, vti compotationes, voluptas venerea, diſſimulare atque ita loqui ſolent, vt vitia celare annitantur. Sed tamen de eiusmodi rebus inſti-

n) *Tuſc. quæſt.* lib. v. c. 47. o) XXVII. 8. add. *prouerb.* XV. 2. XIII. 16. XII. 23. X. 11. 13. 14.

inſtituunt ſermonem, quæ licet honeſtas eſſe exiſtiment, arctiſſimo tamen cum quadam propenſionum ſpecie vinculo ſunt coniunctæ adeoque mentem cognoſcendam omnino aperiunt. Multi igitur repeпriuntur, qui ſcortationes, libidines, compotationes palam deteſtantur; at temperare ſibi nequeunt, quin choreas, luſus, cupedias, honeſtas vti vocant, cum feminis conſuetudines laudent ac probent, id quod ſignificationem mentis voluptati deditæ haud obſcuram facit: vide IO. FRANCISCVM BVDDEVM. p) *Indirecte* ſermo eſt animi ianua, quum ipſius præſertim ſtructura ingenii indolem prodit, indeque nos ad latentem mentis naturam cognoſcendam deducit, vt adeo hæc noſcendi ratio vinculo ac commercio, quod inter intellectum ac voluntatem eſt, maxime nitatur. Docet enim experientia, quod voluntas magnam vim habeat ad ingenii indolem, licet modum, quo id contingat, haud capiamus. At vero diuerſa ingenii ratio varia orationis genera efficit. Quibus natura dotem ingenii ſtricte ſic dicti dilargita eſt, quod capax multarum rerum atque imaginum eſſe conſtat; facile in verboſiorem dilabuntur ſermonem, inprimis ſi memoriæ vis acceſſerit. Cuiusmodi oratio, ſi iudicio temperata, fit *venuſta*; ſin minus *luxurians*. At qui iudicii ſingulari pollet virtute, mediocri ac conciſo dicendi genere vtitur, quum hæc intellectus facultas ſolius veritatis cognitioni intenta, copiam notionum atque imaginum, quibus ſtricte appellatum ingenium occupatur, reiicit

p) *elem. philoſ.* part. I. cap. 5. §. 38. ſqq.

cit easque ſibi reſeruat, quae veritatem mouent. Proinde & planum erit definire, quae ſit confuſi ſermonis ratio, adquem vigor memoriae; penuria vero iudicii multum confert. Spectant huc, quae CICERO q) habet: *natura primum atque ingenium ad dicendum vim affert maximam:* & paullo poſt: *nam & animi atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti & ad explicandum ornandumque ſint vberes & ad memoriam firmi atque diurni.* Quod ſi diuerſa dicendi genera ſola vis artis efficeret, cauſſam haud videmus, cur ingenium quoddam non ad omnem orationis formam ſit aptum, quamuis inſtitutio abundet praeceptis ac in ſedula exercitatione multum induſtriae collocetur. Hinc & patet, quo pacto ex ſtilo ac ſcriptis de ingenio ac mente poſſit iudicari, quod iam a vetuſtioribus fuit notatum. Namque in diiudicandis ſcriptis dubiis praecipue ſtili atque orationis, ex qua ingenium maxime eluceat, teſtimonio voluerunt vti, cuius rei exemplum habemus apud GELLIVM: r) *verum eſſe comperior, quod quosdam bene litteratos homines dicere audiui, qui plerasque Plauti comoedias curioſe atque contente lectitauerunt, non indicibus Aelii, nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii ſuper his fabulis, quae dicuntur ambiguae, credituros; ſed ipſi Planto moribusque ingenii atque linguae eius. Hac enim indicii norma Varronem quoque eſſe vſum videmus.* Nec ſolum ingenium; ſed animum quoque ex orationis forma eſſe cognoſcendum, cenſue-

q) de *oratore* lib. I. r) lib. III. c. 3.

ſuerunt. SENECA s) dicit: *non poteſt alius eſſe ingenio, alius animo color: ſi ille ſanus eſt, ſi compoſitus, grauis, temperans, ingenium quoque ſiccum ac ſobrium eſt: illo vitiato, hoc quoque afflatur*, paullo poſt: *ingenium totum animo permixtum eſt*, qui & alio loco: t) *oratio vultus animi eſt: ſi circumtonſa eſt, & fucata & manufacta, oſtendit, illum quoque non eſſe ſincerum & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile concinnitas*; confer AVG. MASCARDI u) & IO. SCHEFFERVM. x)

§. XI.

Præter orationem *facta* quoque ſunt ſigna moralia. Etenim quum actiones humanæ media ſunt; propenſiones vero fines; omnino ex iſtis animi capi poteſt documentum propter arctiſſimum vtriusque & medii & finis nexum. Hinc ſeruator noſter: y) ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Quod momentum vt diſtincte atque accurate tradamus, in actionibus hiſce partim ipſarum cum propenſionibus coniunctionem; partim ſignificationem, quomodo iſta de mente heic fieri poſſit, debemus expendere. Pro diuerſitate propenſionum, quum voluntatis ſtudia modo in hoc, modo illo fine fixa ſint ac locata, varia quoque actionum oriuntur genera, adeo vt & voluptati & ambitioni & auaritiæ

G pro-

s) *epiſt.* CXIV. t) *epiſt.* CXV. u) diſſ. *de adfectib.* n. X. p. 120. x) de *ſtilo* p. 8. y) *Matth.* VII. 16.

propria ſint facta, quippe quæ per caracteres ſolent notari. Cuius rei non ſolum experientiam probatum habemus teſtem; ſed ipſius quoque natura, quam ratione contemplamur, id clariſſime confirmat. Etenim quum finem ſine mediorum vſu haud conſequi poſſumus; videmus omnino conſequens, diuerſi bonorum finis cauſſa adhibenda eſſe diuerſa media. Verum enim vero dantur propenſionum cardinalium ſpecies. Voluptas enim eſt vel corporis; vel animi: illa cum beſtiis nobis eſt communis, cuius tres ſunt ſpecies, *bacchica*, *venerea*, *delicata*; hæc autem humana eſt ac ſenſibus internis delectatur, ad quam pertinent *curioſa*, *phariſaica* & *amica*. Cuiusmodi diſcrimen & in ambitione obſeruamus, quippe quæ in diuerſas honorum cupiditates ſe diſtinguit, nec ſolum ad gloriam laudemque contendit propter ingenii atque animi dotes, quales ſunt prudentia, eruditio, fortitudo ac pietas, atque ambitionem *aulicam*, *litterariam*, *militarem* ac *phariſaicam* efficiunt; ſed & propter bona, quæ fortunæ debemus, pulcritudinem quippe, diuitiarum ac generis ſplendorem. Vnaquæque harum ſpecialium cupiditatum propria ſibi habet media adeoque facta, ad quæ ideo animum diligenter debemus conuertere, vt ex diuerſitate actionum accuratius de mentis indole queamus iudicare. Sic qui voluptate capiuntur amica, ſæpe abhorrent ab omni cum feminis commercio omnique compotatione: ac qui in aulis principum ac regum honoris ac dignitatis cupidi ſunt, multa fugiunt atque ina-

nia ac leuia eſſe arbitrantur, quæ litterarum cultores ambitionis cauſſa ſectantur ſummoque ſtudio veluti grauia ſequuntur. Quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, videmus inde conſequens, diuerſam propenſionum earumque, quæ ſpecies ſunt, mixturam varia quoque actionum genera efficere, quorum, ſi inter ſe ratione finis comparantur, tres claſſes poſſunt conſtitui. Suſcipimus enim propter finem quendam obtinendum I) *actiones easdem*, quæ propriæ ſunt aut vnicæ perpenſioni, quando exempli cauſſa qui voluptatis ſtudio rapiuntur, nimiam corporis curam gerunt, ac deliciis modo veneris, modo gulæ capiendis ſunt intenti; aut duabus ſimul, vt ambitioni atque auaritiæ actiones diligentiæ; ambitioni ac voluptati actiones prodigentiæ; voluptati atque auaritiæ actiones metus. Quod ſi igitur facta ſæpe repetita vnius propenſionis obſeruamus, iſtam eminentem eſſe ac ceteris præſtare, indicant. Quando vero opera quædam duabus propenſionibus ſunt communia, difficilior omnino eſt cognitio, cuius ſtimulis iſta fuerint ſuſcepta; nec exempli cauſſa ex ſola induſtria, quam quis ſummam in agendo ponit, definiri poteſt, num ambitio, an auaritia menti eius adſit. Quocirca & alias eiusdem hominis actiones ſedulo debemus notare, ac qualis animi cupiditas in iſtis conſpicua ſit, diſpicere. Neque non II) *actiones contrariæ* fieri ſolent atque in lucem prodeunt, quarum adeo contrarii ſunt fines. Reperiuntur enim, qui omni opera ac labore ad laudem dignitatemque incumbunt, etiam interdum circumforaneo more graſſantur; ſed quando in congreſſum & colloquium familiarium veni-

 unt,

unt, atque in conuiuiis vinoque verſantur, omnis fere exiſtimationis obliti, dicunt faciuntque, quæ ab omni, quam adfectant, grauitate omnique decori atque honeſtatis parte ſunt aliena. Quales contrarios mores duæ ſibi quoque contrariæ propenſiones gignere debent; vtrum autem altera emineat, quæue ſit iſta, an æquali valeant virtute? id ex ratione huiusmodi actionum, ſi inter ſe comparantur, debet iudicari: III) fiunt *actiones diuerſæ*, quarum finis nec idem, nec contrarius eſt: hinc neque boni, neque mali quidquam erga ſe ipſas continent. Sed tamen vt videamus, quo pacto actiones, quarum diuerſitatem adhuc monſtrauimus, mentem manifeſtam poſſint facere, vſum quoque huiusmodi ſignorum exponere neceſſe eſt. Quæ ſi rite adhibere atque vſurpare eorumque vim adſequi volumus, iterum diuerſa hominum conditio eſt conſideranda. Alii enim palam ante aliorum oculos ea agunt, ad quæ vi propenſionum impelluntur, ſepoſita omni ſimulatione ac diſſimulatione, id quod & per ſummam familiaritatem & per grauiſſimam mentis imbecillitatem fieri poteſt. Hinc qualis adſit animus, haud difficilis eſt coniectura. Nam qui in popinis, ſcortatione, compotatione aperte ac palam verſantur, iſtos ad voluptatis libidines ferri, quisque reputabit. Eadem eſt ratio eorum, qui ſumma amicitiæ ac matrimonii neceſſitudine ſunt coniuncti, ac quum in ſocietate hac inter ſe pares ſint, partim id, quod grauitas, dignitas omnisque decori ratio poſtulant, negligunt; partim candorem atque integritatem teſtatam volunt facere. Alii, quibus in cœtu humano ſumus iuncti, propenſionem occultant & diſſimulant

appe-

appetitum illius propter exiſtimationem ac honeſtatis laudem. Nec ſolum multa in agendo omittunt, ad quæ proni ſunt vique cupiditatis mouentur; ſed & fictam præ ſe habent ſpeciem ac per ſimulationis fraudes ea peragunt, a quibus naturalis ipſorum indoles plane abhorret. Quorum mentes expiſcari, arduum videtur ac difficile. Sed tamen adhuc via patet. Etenim ſunt quædam, quæ *nolunt* diſſimulare nec *poſſunt* Ea, quæ *nolunt* ſimulando ab aliorum oculis remouere, ſunt ſimulacra virtutum; ſiue actiones, quibus ea quidem, quæ lex iubet prohibetque, continentur; ſed quum propter propenſionum prauarum ſtudia ſuſcipiantur, præclarum virtutis nomen laudemque haud poſſunt tenere. Cuiusmodi ſimulacra ſunt in *voluptate* humanitas, ſinceritas, bonitas ac beneficentia, ſtudium officiorum, miſericordia ac facilis reconciliatio; in *ambitione* taciturnitas, liberalitas, comitas, diligentia, conſtantia, in voluptatum deliciis abſtinentia & continentia; in *auaritia* parſimonia, frugalitas, diligentia, taciturnitas, voluptatum ac honorum contemtus. Si tamen inde mentis documentum capiendum eſt, ea, quæ ad ſpeciem tantum ſunt, a vera ſolidaque virtute rite diſcerni debent, quod diſcrimen facile obſeruamus, ſi animum ad veræ virtutis rationem attentum tenemus. Ea eſt ipſius indoles, vt primum ſit vnica, quoniam vnicum tantum ſtudium eſt, ſe atque actiones ad voluntatem diuinam componendi. Id tamen ſtudium quum pro varietate obiectorum diuerſam aſſumit ſpeciem, adpellatur nominibus variis: quo ſenſu & varia virtutis genera dari, manifeſtum eſt. Quod ſi autem vna eſt cura, iuſſis diuinæ legis

obtemperandi, patet ſimul ex virtutis indole, omnes illius ſpecies ita eſſe coniunctas, vt qui vnam habet, omnes habeat, qui vna deſtituitur, deſtituatur omnibus. Id iam vetuſtioris ſapientiæ magiſtris cognitum fuiſſe, conſtat. SOCRATES apud STOBAEVM dixit: τȣ̃ βίȣ καθάπερ ἀγάλματα πάντα τὰ μέρη καλὰ εἶναι δεῖ, *in vita perinde, vt in ſimulacro omnes partes pulcras eſſe oportet.* MENEDEMVS Eretrienſis, a quo ſchola adhuc *Eliaca* dicta, nomine *Eretriaca* inſignita fuit, cenſuit, vnum eſſe bonum, vnam virtutem; vide THOMAM STANLEIVM. z) Stoicorum extat effatum, virtutes eſſe plures, easque haud ſeparandas. Hinc CICERO: a) *vna virtus eſt, conſentiens cum ratione & perpetua conſtantia nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit; nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur:* & alio loco: b) *ſi vnam virtutem confeſſus ſis te non habere, nullam neceſſe ſit te habiturum;* DIOGENES LAERTIVS c) vero inter ſententias Stoicorum refert: τὰς ἀρετὰς ἀντακολȣθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν, *virtutes ſibi inuicem ita eſſe connexas, vt qui vnam habuerit, omnes habeat;* confer IVSTVM LIPSIVM. d) Adhæc veræ virtutis proprium eſt, vt omnia ad dei gloriam, ſcopum ſolidæ honeſtatis vnicum, referat. Nullus enim animus veram capere poteſt virtutem, niſi amore deo iunctus eſt, cuius naturalis ea vis eſt, vt mentem ad diuinæ gloriæ ſtudia vehementer accendat. Ex quibus notis haud obſcure patet, quale ſit diſcrimen inter ſimulacrum ac rectam perfectamque formam virtutis, quod argumentum eleganter expoſuit auctor, cui nomen

z) *hiſtor. phil.* p. 274. a) *paradox.* III. b) *Tuſc. quæſt.* lib. II. c) lib. VII. ſegm. 125. d) *manuduct. ad phil. Stoic.* lib. III. diſſ. 4. p. 114.

men eſt ESPRIT. e) Facili igitur negotio ſolida virtus a ſimulacris ſuis poteſt diſcerni. Veræ virtutis eſt, vt licet in multas formas fundatur, omnes tamen quoddam commune habeant vinculum ac cognatione quadam inter ſe contineantur, hincque alia ab alia haud poſſit diuelli, quæ neceſſaria ac perpetua connexio in ſimulacris haud deprehenditur. Quocirca omne id, quod in regno voluptatis, ambitionis atque auaritiæ ad virtutis imaginem præclarum videtur, ad ſpeciem tantum eſt. Equidem illi, quorum mens ſuauitatibus rerum delinita ac capta, per humanitatem, integritatem, miſericordiam multorum voluntates ſibi conciliant; voluptate tamen dominante, neque temperantiæ; neque pietati in deum locus eſt, adeoque quum ſatis demonſtrent, ſe haſce virtutes non habere, profitentur quoque, ſibi nullam plane adeſſe. Eadem eſt ratio in ambitione atque auaritia. Etenim fingunt multiplices virtutes, quarum in ceteris vitæ partibus comites ſunt grauiſſima vitia. Proinde recte SENECA f) ait: *obſerua itaque, numquid veſtis tua domusque diſſentiant: numquid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus: numquid cœnes frugaliter, ædifices luxurioſe.* Finis præterea in his actionibus, quamuis legi conueniant, haud rite eligitur ac proponitur, quod altera ſimulacri in virtutibus nota eſt. Neque dei; neque aliorum cauſſa faciunt recta; ſed vt prauæ cupiditati ſatis faciant, indeque voluptatem capere poſſint, id vnice cogitant, meditantur ac quærunt. Sic honoris ac gloriæ percupidi officioſos labores ſuſcipiunt atque aliis multa beneficia dant; ea

autem

e) lib. gall. *laſauſſ., des vertus humaines.* f) *epiſt.* xx.

autem mente ac conſilio, vt iſtos ſibi maxime obſtrictos reddant habeantque ambitionis inſtrumenta. Nec ſolida eſt ratio amoris ac liberalitatis, qua voluptatum vinculis capti laudem ſibi conciliant. In eos enim liberales tantum exſiſtunt, quos pro voluptatis ſenſu amicos ſibi ac caros habent; aut quorum amicitias quærunt: quocirca magis amant feminas, quam viros, quumue ſingularis delectatio ex rerum pulcritudine capitur, virginem formoſam vetulæ mulieri, in qua nulla ineſt ſpecies, præferunt. Benignitas igitur eorum non rationi, quæ dignis atque idoneis amoris ac miſericordiæ munera tribuit; ſed prauæ cupiditati eſt conſentiens, cui omnino virtus maxime inimica. Quam in cauſſam CICERO: *nec libidine dominante, temperantiæ locum eſſe; neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere.* Eorum denique animus, qui ſine fine ac modo opes congerere nituntur, caret virtute. Temperantiæ, quæ in adhibendo cibo ac potu cernitur, laudem ſibi arrogant, qua plane ſunt indigni, quum non corporis ſeruandi ac tuendi; ſed auaritiæ cauſſa continentiam in victu ac cultu exerceant, vt conſtans pecuniæ fiat acceſſio. Id quod & de reliquis virtutibus dicendum eſt, quarum ſpeciem homines vi cupiditatum naturali eaque praua incitati præ ſe ferunt. Non deo, nec aliis; ſed ſibi ipſis in amore principem tribuunt locum. Hæc diſſimulare *nolunt*. Iſta autem, quæ diſſimulare *haud poſſunt*, duo ſunt: alterum eſt *auerſatio contraria*, laboris quippe in voluptate, id eſt *otium*; contemtus in ambitione, ſiue *ira*, ac indignatio de dominio alterius in auaritia, id eſt *inuidia*: alte-

rum

rum eſt *applauſus ſimilibus ſui datus*, quod aliorum facta, quæ ipſorum inclinationibus ac moribus conueniunt, laudent ac probent: vide ANDREAM RVDIGERVM. h)

§. XII.

Copioſe adhuc de ſignis explorandæ mentis diſſeruimus. Reſtat igitur, vt vltimum doctrinæ huius momentum, *rationem* quippe cognitionis, quæ nobis de aliorum animis eſſe poteſt, oſtendamus. Cognitio iſta, quum ope iudicii acquiritur, eſt erudita ac ſpeciatim ratiocinatio, quæ tantum vim præ ſe habet probabilitatis. Hinc SCIPIO CLARAMONTIVS i) recte dicit: *ſunt probabilia aliqua indicia, quibus mores ſcilicet coniicere poſſimus.* Etenim quum heic in exploranda occulta mentis indole verſamur, nec alius modus nobis eſt relictus, niſi per ſigna, ad notitiam illius perueniendi, veritatem, quam quærimus, tantum ex conuenientia ſignorum cum ipſa quadam indolis ſpecie colligere atque adſequi poſſumus. Sed tamen conuenientia hæc haud neceſſaria eſt adeoque minus certam gignere poteſt cognitionem. Notæ morales, quas præ phyſicis ad mentem eiusque naturam aperiendam aptas eſſe, quisque fatetur, ſunt ipſius animi effectus, ex quibus cauſſa eſt diiudicanda; conſtat autem ex experientia, quod nunquam inter cauſſam & effectum neceſſaria ſit connexio, quoniam vnius cauſſæ plures poſſunt eſſe effectus, & vnius effectus plures cauſſæ. Qualis ratio quoque eſt finis & medii, ſi propenſiones animi veluti fines; facta vero vt media velimus conſiderare. Namque non ſolum propter vnicum finem propoſitum plura media poſſunt adhiberi; ſed & varii finis cauſſa aliquid fieri poteſt. Sic multa, quæ in aliorum ſermone ac factis obſeruamus, per propenſionis cuiusdam vim fieri putamus, quæ tamen aut conſuetudini; aut educationi; aut alii cauſſæ poſſunt attribui; iſta autem cognitio, in qua contrario, quod ſaltim eſſe ac fieri poteſt, locus eſt,

h) *phil. pragm.* part. III. pag 137. i) de *coniect. cuiusq. mor.* lib. I. c. 3. §. I. p. 14.

omnem excludit ſcientiam; ſiue demonſtrationem. Quod ſi igitur haud neceſſarium commercium eſt inter ſignum ac rem, quæ illo denotatur, neutiquam tam certi de aliorum animis reddi poſſumus, vt ex mente noſtra omnis euellatur dubitatio ac contrario nullus ſit locus. Nec conuenientia ſignorum cum mentis indole, qua probabilitas hæc nititur, ſemper accurata eſſe poteſt, quum raro in aliis hominibus, quibus per familiarem conſuetudinem haud iuncti ſumus, tot ſigna, quot neceſſaria ſunt, denotare liceat. Percipimus quidem plures notas easque haud contemnendas, ex quibus de propenſione quadam animo inſita coniectura facienda eſt; ſed inde nondum videmus, qualis adſit indoles mentis; ſiue mixtura propenſionum, ac quæ partes cuique ſint tribuendæ. Ceterum gradus omnino ſunt probabilitatis, quorum ſummus interdum fere accedit ad demonſtrationem, cuiusmodi & heic dari, ac id, quod ſimillimum veri eſt, inueniendum eſſe, fatemur. Neque non variæ illius ſunt ſpecies, ex quibus noſtra commode dici poteſt *probabilitas politica*, quippe quæ efficit, vt animos hominum cognoſcamus, quos noſſe, maximum prudentiæ momentum eſt.

§. XIII.

Ea igitur, quæ ad doctrinam artis aliorum animos cognoſcendi pertinent, tradidimus. Quocirca, vt quæ reſtant, perſequamur, viam adhuc monſtrare debemus, qua ad artis illius cognitionem venire, hacque præditi notitia omnia ad vitæ vſum prudenter poſſimus adplicare. Media, quibus ars iſta comparanda eſt, præter naturalem & ad hanc ſapientiam aptam vim ingenii, ſunt *inſtitutio* atque *exercitatio*. *Iſta* præceptis ac regulis continetur, quæ mentis humanæ naturam, imbecillitates ac ſanitatem explanant, ac quæ ratio ſit propenſionum prauarum adfectuumque, quiue ſint vniuscuiusque caracteres, docent, cuiusmodi doctrinæ adiumenta in philoſophiæ moralis ſcriptoribus, quorum principes ſupra memorauimus, ſunt quærenda. Quibus, vt inſtitutio plenior fiat ac firmior,

firmior, illi quoque poſſunt adiungi, qui ſpeciatim argumentum de aliorum mente cognoſcenda tractarunt. Valet quidem natura ad prudentiæ laudem ſine doctrina: hinc CICERO: k) *ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina naturæ ipſius habitu prope diuino per ſe ipſos & moderatos & graues exſtitiſſe, fateor, etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valere doctrinam;* ſed pauci tam excellenti naturæ habitu ſunt præditi viaque per ſolam experientiam longior eſt ac difficilior. Quocirca recte IVLIANVS l) naturam cum doctrina coniungendum eſſe, ſi quis prudentia clarus euadere velit, in exemplo Conſtantii monſtrat: *Φρονήσεως ἡ μὲν φύσις, ἣν εἴληχας αὐτάρκης ἡγεμών. παρῆσαν δὲ, οἶμαι, καὶ τῶν πολιτῶν οἱ κράτιστοι τὰ πολιτικὰ διδάσκοντες, quod ad prudentiam adtinet, etſi dux ad eam idonea tibi egregia illa, quam ſortitus es, naturæ eſſet indoles, aderant nihilominus ex romanis præſtantiſſimi quique, qui te ciuili diſciplina ac ſolertia formarent.* Sic præceptis exculto ingenio, ſedula adiungenda eſt *exercitatio*, cuius primas partes fructuoſo ac prudenti commercio cum aliis tribuere decet, vt quæ dicant atque agant, obſeruandi nanciſcamur occaſionem, ac quæ per præcepta de diuerſis hominum moribus, adfectuum vi atque indole didicimus, per huiusmodi experientiæ vſum reddantur firmiora. Heic multum omnino intereſt, vt cum hominibus ingenio, mente, fortuna diuerſis verſemur, indeque multa vtilia ac neceſſaria, quæ regulas doctrinæ illuſtrant, firmant, augent ac emendant, hauriamus, atque ex dictis factisque colligamus animorum documenta. Conſuetudo cum eruditis magnam vtilitatem litterarum alumnis adfert, recteque præter alios ROLANDVS MARESIVS m) diſſerit: *præter externarum linguarum notitiam & prudentiam, quæ ex illo per varias prouincias diſcurſu acquiruntur, aliud etiam commodum vos φιλομαθεῖς conſequimini. Doctos nimirum viros, qui vbicunque*

k) *pro Archia* c. VII. l) *oration.* I. p. 12. m) *epiſt.* lib. I. n. 43.

que degunt, ſalutando, cum iis amicitiam contrahendo, eorumque conſuetudine & colloquio fruendo: ex quo nonnunquam plus vtilitatis hauritur, quam ex librorum lectione: confer GEORG. DAN. MORHOFIVM. n) Sed tamen ſapientia moralis adiumenta habet ex commercio cum hominibus cuiusque generis, ſiue ſint eruditione ornati; ſiue litterarum expertes, quorum mores largiorem efficiunt materiam, bona atque vtilia cogitandi, quæ ad vitam recte ac prudenter inſtituendam pertinent. Nec occaſio nobis deeſt, cum mortuis verſandi, ſi monimenta eorum hiſtoricorum, qui vitas illuſtrium virorum litteris conſignarunt, euoluere velimus, quale genus ſcriptorum facit exemplis, quod ethica & politica philoſophia efficit præceptis. Hinc IO. ANDREAS BOSIVS o) dicit: *quum minuta quæque, nec eximia tantum; ſed omnem interiorem ac familiarem vitam exſequi viroſque maximos veluti totos inſpiciendos exhibeant, dubitari non debet, quin ad inſtruendum prudentia & dexteritate agendi animum plurimum conferre poſſint.* Sed tamen vt hæc feliciter ſuccedant, *cognitio ſui ipſius*, abiecto omni ſui prauo amore, inſtituenda eſt ac ſigna ad proprios mores rite ſunt adplicanda. Quod ſi enim ipſi noſtræ mentis indolem cognitam tenemus, facilius tale explorandi negotium in aliis procedet. Ac quamuis in huiusmodi ſui ipſius notitia acquirenda non opus ſit ſignis quibusdam, quum quisque ſuarum cogitationum ac cupiditatum, quæ proxime mentis indolem ſignificant, ſibi ſit conſcius; via tamen ad aliorum cognitionem paratur atque integrum artis huius opus facile redditur atque expeditum, quando a leuiori rei cuiusdam momento capimus initium indeque progredimur ad grauiora. Quibus de cauſſis quum cognitio ſui ipſius multiplicem nobis adferat vtilitatem, eo quoque nomine inſignis eſt dignitate ac præſtantia, quod noſtram operam, quam in aliis explorandis ponimus, adiuuat ac feliciorem ſucceſſum promouet. Quam vtilis ſit ac neceſſaria, veteres etiam ſapientes agnouerunt.

n) *polyh. litter.* lib. 1. cap. 15. o) de *compar. prud. ciuil.* §. LXVIII.

CHILO Lacedæmonius commendauit nobis nobile illud: *γνῶθι σεαυτόν*, *noſce te ipſum*, teſte PLINIO; p) inprimis autem noſcendum eſſe animum, recte monuit CICERO: q) *eſt quidem illud vel maximum, animo ipſo animum videre. Et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt ſe quisque noſcat. Non enim credo, id præcipit, vt membra noſtra; aut ſtaturam figuramue noſcamus: neque nos corpora ſumus: neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico. Quum igitur noſce te dicit, hoc dicit, noſce animum tuum. Nam corpus quidem quaſi vas eſt; aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te: hunc igitur noſſe, niſi diuinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cuiusdam animi præceptum, ſicut tributum deo ſit: hoc eſt, ſeipſum poſſe cognoſcere.* Præter veteres argumentum hoc pluribus perſecuti ſunt TVLDENVS, r) VOSSIVS, s) CHARRON, t) ABBADIE, u) LAMI x) aliique.

§. XIV.

Formantur ſæpe ac traduntur regulæ, quæ in cognitione optimæ ſunt nec a veritate aberrant; quodſi autem iſtas vſurpare atque ad ipſam rem transferre volumus, ſingularis interdum adhibenda eſt cautio. Rerum enim, ad quas cognoſcendas ac tractandas nos adplicamus, diuerſa ſunt genera, ac ſæpe numero variam induunt faciem, adeo vt propter leue quoddam momentum regula fructu ſuo careat, niſi rite adhibita ad rei conditionem adcommodetur. Idem de præceptis, quæ ingenia noſtra in arte aliorum animos cognoſcendi formant, dicendum eſt: quæ quamuis accurate ſint tradita ac cognita, propter diuerſum tamen vitæ ac fortunæ ſtatum, in quo homines collocati ſunt, prudenter vſurpari debent. Etenim heic ratio habenda eſt 1) *ætatis.* Conſtat quippe, quod in primis voluptas in iuuentute; ambitio in ætate virili atque auaritia in ſenectute vigeat. Hinc & diuerſos mores cuique

p) lib. VII. cap. 33. q) lib. 1. c. 22. *quæſtion. Tuſculan.* r) de *cognitione ſui* libr. V. s) lib. de *cognitione ſui.* t) *lumin. ſapient.* lib. 1. u) *art. ſeipſum cognoſcendi.* x) de *cognitione ſui ipſius.*

ætati veluti proprios oriri, obſeruamus, quos breuiter atque eleganter ex antiquioribus deſcripſit HORATIVS: y)

imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi;
cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
vtilium tardus prouiſor, prodigus æris.
ſublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.
conuerſis ſtudiis ætas animusque virilis
quærit opes & amicitias, inſeruit honori:
commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.
multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quod
quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat;
dilator, ſpe longus, iners, auidusque futuri,
difficilis, querulus, laudator temporis acti
ſe puero, cenſor caſtigatorque minorum:

confer IO. MICHAEL. DILHERRVM, z) GERHARD. IO. VOSSIVM, a) FRIDERICVM RAPPOLDVM b) aliosque, quos iam ſupra c) laudauimus: II) conſideranda eſt ratio *ſexus*, cuius diuerſitatem præcipue decori cauſſa obſeruare, neceſſe eſt. Per opinionem enim ac conſuetudinem multa feminis decora habentur, quæ perſonis virorum haud conſentanea ſunt, prout eiulare, extimeſcere, ſordidum eſſe conceduntur quidem mulieri; minus autem viro. Contra ea multa moribus virorum conueniunt, quæ in feminis maxime turpia eſſe putantur, quum conſuetudo illis maiorem licentiam amoris, libidinis, luxuriæ, audaciæ dederit, quam mulieribus. Quale diuerſum decorum locorum quoque diuerſitas conſtituit. Quo ſpectant, quæ habet CORNELIVS NEPOS: d) *nulla Lacedæmoni tam eſt nobilis vidua, quæ non ad ſcenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari. In ſcenam vero prodire & populo eſſe ſpectaculo,*

y) de *arte poëtic.* v. 161. ſq. z) *diſſert. acad.* tom. II. n. 8. p. 127. a) *inſtit. orat.* lib. II. cap. 14. p. 292. b) *comment. in Horat.* c. I. c) p. 22. ſqq. d) præf.

ctaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Contra ea pleraque noſtris moribus ſunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim romanorum pudet, vxorem ducere in conuiuium? aut cuius mater familias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur? quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum: neque ſedet, niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis adpellatur: quo nemo accedit, niſi propinqua cognatione coniunctus. Propter decori igitur rationem viri multa diſſimulant, quæ feminæ in lucem proferunt: e contrario féminæ quædam celare adnituntur, quæ in viris haud ficta ſpecie teguntur. Præter ætatatis ac ſexus conditionem III) *conſuetudinem* animaduertere debemus, cuius magna vis eſt non ſolum in naturali corporis habitu; ſed & in moribus mentis humanæ ad diuerſam formam fingendis corroborandisque, adeo vt quaſi altera natura videatur. Quo circa ne in arte aliorum mentes perſcrutandi decipiamur, merito diſcernimus, quid in moribus humanis ſit naturæ, quidue conſuetudinis: ad quam gignendam firmandamque multum valet educatio & commercium cum aliis. Præclare SENECA e) dicit: *ſumuntur a conuerſantibus mores: & vt quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt; ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque, & ſi liceat, virum emolliit: auaritia in proximos virus ſuum transtulit.* Neque non IV) conſiderandæ ſunt *præiudicatæ opiniones morales*, quæ ſæpe propenſionis cuiusdam, quamuis vi naturali præ reliquis haud emineat, mores augent ac corroborant adeoque impediunt, quo minus mentis humanæ naturam recte cognoſcamus. Quarum opinionum maxima vis in ambitione conſpicitur. Tanta enim eſt multorum malitia, vt poſtquam verſantur in caligine ac tenebris errorum, laudem ac gloriam ex vitiis quærant,

e) de *ira* lib. III. cap. 8.

quærant, eamque ſibi ex effrenata, quæ rationi haud paret, audacia atque execrationibus ſibi comparare velint. Inprimis ortus ac ſplendor gentis multos in erroneas deducit opiniones, quæ ambitionem mouent eiusque excitant ſtimulos. Namque putant, ſibi honores ob maiorum merita deberi, quamuis ex proprio ingenio ac virtute nihil habeant. Nec ipſi ſolum ſic ſentiunt; ſed aliorum idem eſſe iudicium vident. SENECA f) *aliquando*, inquit, *daturum me etiam indignis quædam non negauerim, in honorem aliorum; ſicut in petendis honoribus quosdam turpiſſimos nobilitas induſtriis, ſed nouis prætulit. Non ſine ratione: ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos iuuat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res conſulem fecit, niſi pater?* Si quis igitur huiusmodi præiudicatis opinionibus occupatus ac veluti vinculis conſtrictus tenetur, multa in moribus præ ſe ferre poteſt, quæ non ab impetu dominantis propenſionis, adeoque haud a natura; ſed ab errore proueniunt, quamuis minus negauerim, quod per voluntatis prauitatem ad concipiendas fouendasque falſas cogitationes ſimus procliues. Denique v) ſpeciatim in auaritia *opum* conſideratio haud negligenda eſt. Duo enim in eadem pecuniæ ſumma parci ac tenaces eſſe poſſunt; ſed quum alter opibus eget; alter vero illis abundat; inde nec eandem auaritiæ propenſionem; nec eundem illius gradum debemus colligere. Præter hanc circumſpectionem, cuius partes iam propoſuimus, in legitimo vſu artis huius neceſſaria quoque eſt ſingularis diligentia atque attentio, ne ex vnico ſigno de indole mentis iudicemus, quoniam propenſio, quæ reliquis eſt inferior, facile inſtigari ac vehementer moueri poteſt, vt aliis ſuperior videatur. Proinde, ſi fieri poteſt, varia ſigna diligenter ſunt notanda ac coniungenda, vt conſequentia vere probabilis poſſit formari, quæ quo pluribus nititur notis, eo maior redditur ac firmior. Sed tamen caue, ne coniecturis tuis nimium tribuas, ac cogita, te eſſe hominem.

§. XV.

f) de *benefic.* lib. IV. c. 30.

§. XV.

Noſtra omnino magnopore refert, aliorum animos cognitos atque exploratos habere, quod tali cognitione magna prudentiæ adeoque felicitatis noſtræ pars continetur. Prudentiæ enim eſt, aliquid ita tractare, vt inde noſtra aliorumque promoueatur vtilitas legibus diuinis haud contraria, cuiusmodi res, in quibus tractandis verſatur, & in nobis & extra nos poſitæ. Ad iſtas, quæ in nobis inſunt, pertinent facultates intellectus, item propenſiones atque adfectus voluntatis, in quibus ad noſtrum aliorumque commodum vſurpandis cernitur prudentia; quæ autem extra nos poſita, ſunt cum alii homines, tum res. Alii multum valent ad felicitatis atque infelicitatis noſtræ ſtatum nobisque ingenio, iudicio, animorum ſtudiis, auctoritate, dignitate, opibus & prodeſſe & nocere poſſunt. Sed tamen quum media, quæ ad finem feliciter obtinendum neceſſaria ſunt, atque in doctrina politica conſilia vocantur, pro ipſius obiecti, quod tractamus, natura & inuenienda & adhibenda ſunt, conſequens videmus, id nobis debere eſſe exploratum. Quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, cognitio aliorum mentis efficit, vt commercium cum illis inſtituamus prudenter. Præuidere enim hac ratione poſſumus, quid mali quidue boni ab ipſis pro animi indole ſit exſpectandum, quam cognitionem ſequitur prudentia & conſideratas actiones monſtrat, quomodo per cautionem mala ſint euitanda; bona vero per ſolertiam obtinenda. Proinde in conſuetudine cum ambitioni dedito cauemus, ne ipſum ad iram, quæ cum grauiori vlciſcendi libidine coniuncta eſt, commoueamus, ne iocis in illum vtamur, veritatem ipſi acerbam dicamus, nimium fiduciæ in amicitia eius collocemus, cuiusmodi cautionis

adhuc alia ſunt momenta. Econtrario ſi voluntas ipſius nobis eſt conciliata, adhibenda eſt agendi ſolertia, vt conſtantiam, taciturnitatem, officioſam operam, beneficentiam, quas ad verae virtutis imaginem exercet, ad vſum noſtrum transferamus. In eodem delectu rerum bonarum & malarum verſatur prudentia, quando modo negotiorum, modo amicitiae, modo decori cauſſa verſari nos oportet cum hominibus, qui aut voluptatum blanditiis, veluti vinculis capti & conſtricti tenentur; aut nimio ſtudio opes congerendas ſeruandasque conſectantur.

§. XVI.

Quae generatim de vtilitate diximus, quam cognitio aliorum ad prudens cum illis commercium inſtituendum adferat, adhuc diſtinctius ac verboſius ſunt explananda. Emolumenta, quae inde proficiſcuntur, tam larga ſunt atque ampla, vt in omnes hominum ſtatus, *coniugalem*, *paternum*, *herilem & ciuilem* diffundantur. Namque quod ad ſtatum *coniugalem* pertinet, in hac ſocietate vera & conſtans felicitas eſt ab animorum coniunctione ac conuenientia, quae ſuauiſſimam gignit concordiam. Ab omnibus igitur, qui matrimonii foedus prudenter facere volunt, inprimis ex mentis indole conſilia, aliquid heic agendi omittendique, ſi prudentiae plena eſſe debent, ſunt capienda. Sed tamen quomodo talia conſilia poſſemus habere, niſi antea mens per artem exploraretur? ea ſane, quae oculis noſtris videmus ac percipimus, pulcritudo formae, opum multitudo, generis ſplendor, haud felix atque amoenum matrimonium efficiunt, ſi animorum inter coniuges eſt disiunctio. Societatem hanc ſequitur *paterna*, in qua parentes liberorum indolem merito explorant, vt omnes educatio-

cationis partes prudenter proſequi ac ſpeciatim videre posſint, quæ facilior commodiorque ratio & in inſtitutione & morum diſciplina ſit eligenda. Quo & ſpectat prudentia ſcholaſtica, quæ breuiorem atque expeditam viam, non ſolum ingenia; ſed & mores iuuenum ad honeſtatem formandi, aperit, cuius conſilia iterum ex cognita ipſorum indole ſunt petenda. Nam quando nemo ad litterarum ſtudia ſe adplicare debet, niſi qui ad iſta natus eſt, delectus ingeniorum, quæ ad doctrinæ liberalioris ſcientias apta ſunt, haud rite inſtitui; nec docendi ratio morumque medicina prudenter fieri poteſt, niſi eorum, qui inſtitutione noſtra vtuntur, indolem exploratam habeamus. Præterea ſtatus *herilis* cauſſa, qui ſocietate inter dominum & ſeruum inita nititur, ars aliorum animos cognoſcendi vtilis eſt adeoque magni facienda. Vt enim rebus domeſticis noſtris conſulamus, eiusmodi ſeruos adſciſcere decet, qui ad officia, quæ præſtare debent, ſunt idonei, præſertim qui nec furaces; nec voluptati otioque dediti; nec prodigi ſunt. Quem in finem e re noſtra erit, ſi illorum animos cognitos tenemus ac præuidere poſſumus, ad quos mores quæue vitiorum genera ſint procliues. Inprimis in ſtatu *ciuili* vberrimi fructus ex arte hac in rerum publicarum vtilitatem proueniunt. Indolem ciuium in promulgandis legibus, ſtatuendis pœnis ac præmiis; nec non miniſtrorum in muneribus ipſis tradendis expediendisque negotiis, etiam aliorum principum, cum quibus pacis bellique cauſſa eſt commercium, ſedulo conſiderare hincque conſilia prudenter excogitare atque adhibere decet. Quod ſi diuerſa vitæ, profeſſionis ac negotiorum humanorum genera contemplari vellemus, largiſſima data nobis eſſet materia, præſtantiam ac dignitatem artis noſtræ proſequendi. Sic inter media, quibus felicitas vitæ

aulicæ promouetur, non vltimum occupat locum notitia aliorum, principum quippe, ceterorum aulicorum ac ciuium. Sed tamen quæ vberiora adhuc dicenda ſunt, iam alii grauiter ac copioſe ediſſeruerunt: confer GABR. NAVDAEVM g) & IO. HENRICVM BOECLERVM. h) Recte breuiterque, quæ in laudem artis huius verboſe dici poſſunt, comprehendit HERMANNVS CONRINGIVS: i) *certe ſiue de præteritis; ſiue de futuris hominum actibus res fuerit, occultos mores nouiſſe, perquam commodum, quoniam ab illis moribus omnes ferme actus proficiſcuntur.*

g) *bibliogr. polit.* p. 115. h) *character. Vellei.* c. 1. & diſſert. de *politic Lipſian.* c. 3. tom. III. opp. p. 361. i) præfat. *ad Claramontium.*

F I N I S.